# SVMMA
## TOTIVS
# DIALECTICAE
## Ad mentem
# S. BONAVENTVRAE
## DOCT. SERAPH.

EX EIVSDEM SCRIPTIS MAIORI, QVA fieri potuit, diligentia excerptæ, & in quatuor libros distributæ,

*PER Fr. MARC. ANTONIVM GALITIVM de Carpenedulo Brixiensem Ord. Min. S. Francisci Capuccinorum.*





ROMAE, Apud Andream Phæum. 1634. *Superiorum permissu.*

Sumptibus Io. Dominici Franzini sub signo Fontis.

# APPROBATIONES

OPus inscriptum, Sum. totius Dialect. ad mentem S. Bonau. ex eiusdem Scriptis excerptæ, & in quatuor libros distributæ à R. P. Marco Antonio Galitio de Carpenedulo Brixiensi Capuccino e iusdem Instituti Theologo eruditissimo, ac Ministro Prouinciali meritissimo diligenter elaboratum, ex commissione Adm. R. P. Antonij Mutinensis, totius nostræ Relig. Generalis Ministri accuratè legi. Cùmque in eo non solùm quicquam offenderim à fidei norma, vel à morum pietate dissentaneum, immò plurima admiratione digna, styli nimirum facilitatem, ac nitorem, compendiariam, dilucidamque methodum, optimam ordinis dispositionem, singulare in omnibus, quæ se offerunt discutienda, iudicium, ac ingenij acumen repererim; ad communem Logicæ, ac Philosophiæ operam nauantium, eorum maximè, qui Seraphicam doctrinam profitentur, vtilitatem, dignum esse iudico, vt typis mandetur, & lucem aspiciat. In quorum fidem, testimonium hoc mea manu conscriptum dedi. Romæ in Conuentu nostro Immaculatæ Conceptionis die 4. Iunij 1633.

Ego F. Paulus Ophidanus Capuccinus Sacræ Theologiæ Professor.

SVmmam totius Dialecticæ ad mentem D. Bonauenturæ ab Adm. R. P. Marco Antonio de Carpenedulo Prouinciæ Brixiæ Capuccinorum Prouinciali compilatam, ex commissione Adm. Reu. P. Antonij à Mutina, eiusdem Ordinis Capuc. Generalis, ego infrascriptus, maxima qua potui diligentia perlegi; & quia ipsam reperi non solũ Christianæ pietati, & Cathol. Relig consonam, verum etiã methodo facill, luculenta doctrina, & stylo florido vndequaq; refertã, vt vi deatur Auctor tanquã Apis argumentosa, ex florentissimo Seraph. Doct. viridario mel Philosophicũ collegisse. Ideo illã iudico typis dignã, vt quilibet intellectiuo ore volumen istud comedẽs fari meritò possit. Et factum est in ore meo sicut mel dulce Dat. Rom. die 16. Iunij 1633.

Ego F. Basilius à Florentia Capuccinus, & Sacræ Theologiæ Professor.

SVmma hæc Dialecticæ Aristotelicæ ad mentem S. Bonau. Doctoris Seraph. à R. P. F. Marco Antonio iam Prælectore, nunc autem Prouinciali meritissimo in nostra Capuccinorum Prouincia Brixiæ conscripta, à me maiori, qua potui diligentia perlecta fuit ex mandato Adm. R. P. Ministri Generalis: illaq; mihi aptissima visa est, quæ typis mandari possit; illam enim sana doctrina ex omni parte refertam reperi. In quorum fidem, &c. Berg. ex nostro Conuentu die 10. Aug. 1632.

Ego F. Hyacintus à Præselio Capucc. Conc. & Lect. Sac. Theol.

EGo F. Theodorus à Caluagesio Capuccinus Concionat. & Guard. de mandato Adm. R. P. Ministri Generalis, vidi qua potui diligentia, & perattentè perlegi Dialecticam, ab Abm. R. P. Marco Antonio Galitio de Carpenedulo Brixiense olim Lect. nunc autem Prouinciali huius nostræ Prou. Brixiæ ad mentem S. Bon. D. Seraph. elucubratam; & nihil veræ Fidei, & Orthodoxæ Religioni, vel bonis moribus aduersum reperi; quinimmò opus summa diligẽtia ex Seraph. Doct. scriptis excerptum, & concinno ordine dispositum, quin etiam moralibus eruditionibus decoratum, vt Religiosum decet Seraphicum: quare illud ad Seraph. Doct. honorem, Franciscanæque familiæ, & cæterorum omnium vtilitatem dignum existimo, vt typis quamprimùm mãdetur, & in omnium studiosorum manibus versetur. Ita sentio toto corde. Datum in loco nostro Montisclari pridie Kal. Septemb. 1632.

Ego F. Theodorus qui supra manu propria.

✝ 2 Sum-

SVmmam totius Dialecticæ ad mentem Sancti Bonauenturæ Doctoris Seraphici à Reuerendo Patre Fratre Marco Antonio à Carpenedulo nostrę Prouinciæ Brixiæ Ministro Prouinciali, mirifica in eundem S. Doctorem, eiusque doctrinam animi propēsione, atq. assidua meditatione elaboratam, Iussu R. Adm. P. Ministri Generalis vidi, ac maiori adhibita diligentia perlegi: in eaque non solùm Fidei, Romanæque Ecclesiæ, ac sanis moribus contrarium aliquid reperi, quin Sacrę Seraphicæ Doctrinæ studiosis apprime vtilem ac necessariam esse fateor. Quare typis illam dignissimam in omnium, maximèque Franciscanorum fructum censeo. Datum in Conuentu nostro de Abbatia nuncupato 17. Augusti Anno 1632.

Ego F. Faustinus de Brixia Concionator Capuccinus, ac in eodem cænobio licèt immeritò Guardianus.

---

## FACVLTAS PATRIS GENERALIS

Nos Frater Antonius de Mutina Fratrum Capuccionorum Generalis Minister licèt immeritus.

FAcultatem concedimus, vt Summa Dialecticæ ad mentem Sancti Bonauenturæ Doctoris Seraphici à P. F. Marco Antonio de Carpenedulo, Theologo, ac Prouinciç Brixiensis Ministro composita, ac grauium, sapientiumque virorum iudicio iam examinata, & approbata typis mandetur. In quorum fidem his litteris Officij nostri Sigillo munitis, propria manu subscripsimus. Datum Romæ in loco nostro Immaculatæ Conceptionis die 25. Iunij 1633.

F. Antonius à Mutina Minister Generalis.

---

*Imprimatur, si videbitur Reuerendissimo P. M. Sac. Palatij Apostolici.*

A. Torniellus Vicesg.

OPusculum hoc quantitate, magnum opus virtute, & eruditione dignum prælo, luce, & theatro censeo ego F. Theodorus Bergomensis Capuccinus Theologiæ Professor; qui Reuerendissimi Patris Nicolai Riccardij, Sac. Pal. Apost. Magistri, iussu, qua potui sedulitate, & attentione peruolui, legi, & scrutatus sum; & cogor approbare: quippe quòd nedum haud quicquam inueni, quod bonos mores, aut catholicam & ortodoxam fidem lædat; verùm omnia pietati, & fidei consona, ac mirè conformia reperi; & miratus sum, Vitum hunc vniuersam Dialecticam tanta breuitate, adæquatè tamen, & tanta perspicuitate tractare, vt nihil desit, nihil otiosè additum, nihil dubium, obscurum nihil explicandum relictum sit: & quod plurimi faciendum; ipse primus ea solertia, & diligentia omnia S. Bonau. Dialectica loca obseruauerit, & mirificè exposuerit, vt Seraphicam Dialecticam texuisse visus sit.

F. Theodorus qui supra.

*Imprimatur*

F. Nicolaus Riccardius Sac. P. Apost. Mag.

Reueren.

REVERENDIS ADMODVM IN CHRISTO PATRIBVS

# P. F. ANTONIO

## A MVTINA

Fratrum Capuccinorum Generali Miniltro.

## AC

## P. F. FRANCISCO A IANVA

Eorundem Fratrum Capuccinornm in Romana Curia Procuratori,

Cæterisque omnibus eiusdem Ordinis

MINISTRIS

F. MARCVS ANTONIVS A CARPENEDVLO

Brixienlis

*Omnium minimus præmium Vitæ Aeternæ.*

MVlto ab hinc tempore, ab Illa nempè die, qua adolescens imberbis vigesimum ætatis annum agens lacte Seraphicæ doctrinæ sub Nutritio alendus traditus fui, audiui, Patres mei amantissimi, eam semper fuisse Seraphici nostri Capuccinorum instituti voluntatem, eum scopum, illud desiderium; vt videlicet gloriosus ille Seraphicæ Matris gnatus, S. inquam Bonauent. summo ab omnibus in honore haberetur, atque ob eam causam in omnibus præcellentissimis doctrinis

fuis ab vniuersa Religione nostra in Magistrum coaptaretur. Cui pio desiderio aliqui eiusdem nostri instituti alumni, ac in Seraphica doctrina plurimùm versati satisfacere cupientes, Seraphicam doctrinam eorum discipulis publicè, ac priuatim miro gustu, ingentique fructu ebibendam ructarunt, quin eò ampliùs Comentarios in libros Sententiarum eiusdem sancti Doctoris eadem de causa eorum aliqui gloriosè satis euulgarunt; in quibus est admodum Reu. Magister meus Pater Theodorus à Bergomo tam in Seraphico, quàm alijs Doctoribus plurimùm versatus.

At verò quò pium hoc desiderium faciliùs, ac pleniùs complea tur, illud quidem omnibus semper necessariū visum fuit, Logicam nimirum, ac Philosophiam è Seraphicis scriptis diligenter conquirere, conquirendo inuenire, inueniendo disponere, ac dispositam tandem typis excudendam curare.

Necessarium sanè; vt propterea iure meritò miratus fuerit aliquis, quemadmodum Seraphici Bonauent. doctrinam profitentes plerumq. in ijs, quæ ad scientiam philosophicā spectant, alium ab ipso prosequantur Doctorem, aliam doceant doctrinam, alios adhibeant terminos, & alias (dicam meliùs) illi oppositas amplectantur sententias. Quo fit, vt qui à Philosophia ad Seraphicam accedunt Theologiam noui inueniantur, & in S. Doctore prorsus inexperti, ac proinde ipsi Theologiæ percipiendæ penitus inepti; cùm ea sit Theologiæ, ac Philosophiæ connexio, & affinitas, vt illa vix percipi possit, si sub alijs, longeq; diuersis ab ista terminis Studētibus capessenda proponatur. Vt igitur ad Theologiam adi tus recludatur, & vtraq. Philosophia scilicet, ac Theologia per proprias sedes, ac periodos distincta faciliùs, exactiùsq; cognoscatur, hoc mihi ipsi sæpè consilium incidit, Logicā ab alijs secernere, & ad propria capita redigere, similiter & Philosophiam, ac Metaphysicam, & vnamquamque solis suis quæstionibus explicatā reddere; vt postea ad Theologiam studium conferentes solam, simplicē, nudam, nullis aut Dialecticis, aut Philosophicis, aut Metaphysicis quęstionibus permixtā, & inuolutā clariùs, & faciliùs percipiāt. Et ecce iam post longas toleratas vigilias, duros portatos labores, ad optatum finem tam Dialecticam, quam Philosophiā ipsam perduxi; quam vobis, Studiosissimi ac Religiosissimi Patres, custodiēdam, legendam, & fouendam tradi debere adiudicaui. Vtinam commune vestrum, ac sanctum desiderium adimplesse datum fuerit. Vtinam tale extruxerim Opus, quale pietas vestra poposcit, concupiuit, diù desiderauit. Scio porrò, doctrinam Seraphicā

esse præclaram, ac proinde alijs quibuscunque sine vllo præiudicio posse conferri, ne dicam præferri. Noui, quæstiones ferè omnes tam Dialecticas, quàm Philosophicas fuisse à S.Doct. aut adamussim explicitas, aut saltem obiter attinctas. Probè tandem teneo, opiniones esse graues, rationes firmas, responsiones certas, solutiones irrefragabiles, ac, vt verbo dicam, cuncta mirè proposita, & subtiliter resoluta. Sed vereor, ne, quod ipse aut seligendo, aut digerendo præstiti, tanto sit indignum Doctore, tantis impar Patrum meritis. Sed tamen quod in me vile despicere, & quasi quodam rubore suffusi dedignari iure, meritòq. possent, superest vt in celebrem Magistrum, & eximium Doctorem reuereantur, quæstionesq. ex eiusdem Doctoris scriptis excerptas, ac, meo quidem videri, miro ordine digestas minimè suppudescant; quin potiùs in eas amorem impendant, manum admoueant, studium conferant, & intellectum conuertant. Certò quippè scio, ad exemplum illius Euangelicæ Mulieris de inuenta margarita exultantis, summa vos ex Seraphica sapientia veluti nunc primum reperta, voluptate replendos, & incredibili gaudio afficiendos, ac tandem immodica vtilitate recreandos. Nec verò vos conturbet, aut à studio Seraphici Doctoris remoueat, seu retardet, quòd S.Doctor parùm sit apud Scholasticos vsitatus: Nam etsi Doctorem nullus ferè sit qui verset, doctrinam tamen quamplurimi, velint, nolint, imitantur. Et de Thomistis quidem res est manifesta; quippe cum vterq. S.Doctor ad eundem fontem aquam sapientiæ hausit; vt propterea (res sanè miranda) sæpè sæpiùs vna sit amborum opinio, eædem rationes, communes termini, ac nonnunquam etiam eadem verba. Quòd si interdum in opinione dissentiunt, quæ vni ad suam tuendam, & demonstrandam, contrariamuè abigendam deseruiunt, alteri ad hanc suadendam, illamquè propellendam cōferunt, sicuti nōrunt, qui in hisce sacris Doctoribus sunt versati. Taceo Scotum, & Scotistas, quem à S.Bon. non raro assertiones, opiniones, rationes, terminos, ac distinctiones mutuatum fuisse vtriusq. Doctoris scripta clarè demonstrant; vt proinde non valeat quis esse aut Thomista, aut Scotista, quin vtrinq. simul & Bonauenturistam agat. Nominales, & Auerroistas similiter prætereo, quorum opiniones, ac doctrinā fuisse Seraphico Doctori apprimè perspectā, nullus est ex Bonauenturistis qui ignoret. Quid Recentiores commemorē Iesuitas, ex quorū scriptis, ac doctrinis toto Terrarū Orbe præclarū omnia scientiarū genera laudis testimonium nouissimè acceperunt? Hi namq. suos libros, & cōpositiones

Seraphicis opinionibus, distinctionibus, & doctrinis repleuerunt. Legant, cui hæc sunt oblectamento, inter Theologos Valentiam, Suarez; percurrant Molinam, Vasquez; reuoluant Rium & alios; quærant inter Philosophos Fonsecam, Toletum, Collegium, Pererium, Ruuium, Mendozam, & omnia ita esse, sicut nostra oratione relatum est, prorsus inueniet. Quæ cum ita sint, Colendiss. in Christo Patres, concreditam vobis S. Bonauent. doctrinam læto mentis sinu suscipite, & ea, qua par est, grati animi deuotione accipite; Nihil enim, credite mihi, est Christianis, ac Religiosis Studentibus Seraphica doctrina fructuosius, nil hac sapientia iucundius, nil tandē excellentius, vbi pietas veritati sociata conspicitur, & veritas pietati sponsata decernitur. Cùm enim S. Doctor pari ratione in Arist. Philosophia, ac Cælesti Sapientia versatus extiterit, in suis dictis, & sententijs non minus Cælestem lucem ducem habuit, quàm naturale lumen adhibuit. Ac sanè quidem ita fieri necessarium fuit; sola quippe naturalis Philosophia, quam animi pietas non comitatur, nec falsa cuncta vitare, nec omnia potest vera nunciare. Intuemini Aristotelem Philosophorū facilè Principem: is enim, etsi plura sui ipsius scripta mira eruditione, subtilitate, & veritate repleta exhibuit, multa nilominus erroribus scatentia, ac vanitatibus maleolentia edidit. De Platone quid referam? qui, cùm apud Veteres Diuinus habitus fuerit, propterea quòd quasi Diuino intuitu lucem veritatis perspexisse creditus sit; in tanta tamen luce positus, quàm multa à veritate aberrantia protulerit, nullus est qui ignoret. Omitto Pythagoram, Thaletem, Annaxagoram, Democritum, Zenonem, Chrysippum, & alios anteriores ferè innumerabiles Philosophos, in quorum scriptis vix aliquod veritatis vestigium apparere conijcitur. Maximum est itaque argumentum, inquit Lactantius, nudam Philosophiam, quam isti professi sunt, neque ad sapientiam tendere, neque ipsam sapientiam esse; quoniam sapientia in sola veritatis contemplatione consistit, in quam mens per iustitiam fidei firmiter oculos figit.

Vt autem hoc Opus nostrum non modò Sancti Bonauenturæ amatoribus, verùm etiam cæterorum Doctorum professoribus gratius, & vtilius existeret, tum ipsius Seraphici Doctoris, tum aliorum sententijs illustrare studui, ita vt in hisce quæstionibus & S. Bon. mens plenè percipiatur, & aliorum ferè omniū opiniones cum suis præcipuis fundamentis conijciātur. Dedi autem operā, vt primò quæcunq. à Philosophis tractari solent, candidè declararē,

nouisque

nouisque quibusdam rationibus, ac responsionibus decorarem. Quin & quasdam nunc primò inuentas quæstiones adijcerem, ac veteres quodammodo ad nouitatem redigerem, nilque, quod ipse proprijs oculis semel, bis, & ter in proprijs Doctorum libris viderim, ex eorum sententijs, eundem Seraphicum imitatus, apponerem; quod in hac parte non paucos, apud Recentiores maximè, in recitandis, explicandisque aliorum sententijs errores deprehenderim. Si quando verò cuiuspiam Doctoris, quem ipse librorum penuria ad manum habere non potui, contingit argumenta proponere, apud alios me vidisse vt plurimum attestor. Quinimmò, vt vnicuique, quorum in his texendis quæstionibus Doctorum lectione vsus fuerim, propalam fiat, breuiter omnes hic recensere decreui.

In primis sedulus legi S.Bon.sup Mag.&alia diuersa ipsius scripta, præsertim Opuscula mira eruditione conspicua; consequenter Trigos. Capuc. primum eiusdem S. Doctoris Commentatorem; nonnunquam etiam Magistri mei Patris Theodori in exponendis, & intelligendis S. Bon. opinionibus testimonio vsus fui: alium autem ex Bonauenturistis vidi neminem, præter Riccardum, & Alexandrum non raro cum S. Doctore verbis, & sententia cohærentes. Ex Thomistis, ipsum percurri Angelicum Doctorem S.Thom. tam in summa, quàm in lib. cont. Gent. interdum etiam in scriptis, quæstionibus disputatis, & Opusc. & subinde Caietanum, Ferrarium, Sotum, Iauellum, Bannez, Zanardum, Viguerium, præ alijs autem accuratiùs Capreolum, meo iudicio, Thomistarum præcipuum; cui pro fidelitate sua, & experientia, potissimùm in S. Thoma, præ omnibus meam sententiam fidendam non dubitarem. De Scotistis, ipsum Scotum non incuriosè perlegi, & non raro aliquem Scotistarum, maximè Fauentinum, & Vtinensem nostrum, cuius in Scoto, cæterisque Doctoribus versutiam, & peritiam recentissimi Tractatus ab eo super Theologiam editi satis superque testatam faciunt. Ex Nominalibus, Durandum, Gregorium, Gabrielem, & Argentinam, quorum nescio nè mirere magè subtilitatem in arguendo, an promptitudinem in retorquendo. Ex Auerroistis, in primis ipsum caput Scholæ Auerroem, dein præcipuos eius discipulos, Bacconium, Aureolum, Iandunum, & Zabarellam viros acutos, & in Philosophia optimè eruditos: Hinc inde vidi Aegidium, Henricum, & Tostatum Theologos præstantissimos, Aresium, Farnesium, Titelmanum, ac Piccolomineum Philosophos sanè resolutos. E recentioribus verò Iesuitis, Toletum, Pererium super Physicam

Ariſtotelis, & ſuper Geneſ. Conimbricenſes, Suar. & Fonſecam in ſua Metaphyſica; Valentiam, Molinam, & Vaſquez ſuper S. Thom. Antonium Ruuio; & Petrum Hurtadum de Mendoza, quorum omnium induſtria in colligendo, iudicium in digerendo, facilitas in procedendo quanta fuerit, ipſa eorum egregia ſcripta apertè declarant. His omnibus reſpectiuè adhibitis pro materiæ opportunitate alios etiam aliquando aſſociaui, vt Sixtum Senenſem in ſua Bibliotheca, Mirandulanum aduerſùs Aſtrologos, Patrem Zachariam Boerium contra Atheiſtas, Dominum Bellarminum in Hæret. nonnunquam etiam Patrum auctoritates addixi. Ariſtotelem autem Philoſophiæ Patrem, & Magiſtrum ſummo ſtudio volútaui, &, vt potui, intelligere ſtudui, auxiliantibus mihi & alijs cum ſuis Com. præcipuè S. Thoma, Auerroe, & Toleto; quorum lectiones ad textum germanè percipiendum multùm mihi profuiſſe cognoſco; ne verò huic operi quippiam deeſſet, interdum etiam Medicorum teſtimonio vſus ſui, præſertim Mercati viri eruditiſſimi:

AD

# AD RELIGIOSVM LECTOREM.

CVm omni temporum ętate tot tantique viri in paruo, ac pusillo Capuccinorum Religionis grege reperti fuerint, qui ob memoriæ tenacitatem, ingenij subtilitatem, differendi acuitatem, ac doctrinæ magnitudinem ad multos diuersorum generum libros componendos agnoscebãtur idonei: quid, quæso, causæ est, cur tam pauci inueniantur, qui in hoc præclaro, celebrique munere obeundo animum conuerterunt? Huic porrò piorum hominum curiositati, & cupiditati annuere volens aliquis, eam fortasse huiusce rei Causam assignandam putarit, quòd nimirum huius Seraphicæ Religionis professores eam à Seraphico eorum Patre Francisco viuendi normã acceperint, quæ eos Diuinis laudibus iugiter addicit, ac omnino ijs, quæ ad Dei cultum immediatiùs spectant, ac propriæ salutis profectum conducunt, indesinenter astringit: quam ob causam præclarum illud nostræ Religionis lumen, Franciscus, inquam, Titelm. vir eruditissimus, texendisque voluminibus aptissimus, sicut ea, quę mira conscripsit, indubitatam omnibus fidem faciunt, cum à Fratribus Minoribus de Obseruantia ad nostram Capuccinorum Congregationem, vt Deo liberiùs, & impensiùs deseruiret, pertransisset, pluries à Sapientibus interrogatus, cur inter Capuccinos solitum litterarum studium intermisisset, & à componendis libris se prorsus subtraxisset, Respondit dignam sanè Seraphici Fratris sententiam, *Isti*, ostendens plurimos infirmos, quorum curæ, & instructioni se totum addixerat, *sunt Origenes mei, isti Augustini, isti Hieronymi, isti Chrysostomi, isti tandem omnes mei libri, quos lego, & compono*; & optimam sanè electionem; quandoquidem orationem, ac Charitatis exercitationem litterarum studio postponere perinde est, ac si quis ingen-

tee-

tes auri, & argenti glebas pessundet, margaritas pedibus conculcet, vt pauca, & exigua plumbi ramenta colligat. At enim, licèt isthęc ipsa ratio partim humanę possit satisfacere cupiditati; ea nihilominus ex alia parte meo pusillo ingenio numquã adęquata visa fuit; cùm vndique circunspicientibus plurimi nobis ubij habeantur non modo extra, verùm etiam intra ipsam Seraphicam Religionem, qui simul fuere studiosissimi, & sanctissimi. Taceo cum primis Collegij decus Apostolici, Paulum inquam, ex vna parte labori manuum impensum, ac scientiarum studio deditum: ex altera verò tantis virtutibus plenum, tantis donis spiritualibus refertum, vt nil illo sanctius, nil fuerit humilius, nil denique deuotius. Missos pariter facio Irenæos, Ciprianos, Iustinos Apostolicorum temporum vicinos, quorum vltimus præsertim non minùs fuit in studijs Philosophiæ versatus, quàm in pietate, ac Religione probatus. Pretereo itidem Ambrosios, Augustinos, Anselmos, Basilios, Athanasios, Cirillos, Hilarios, Epifanios, Bernardos, ac sexcentos alios omnes doctos, omnes sanctos, omnes studiosos. Quid autem illos, qui nostris temporibus, Diuino afflante spiritu, talia fecerunt, commemorem? An non fuit doctrina pariter, & sanctitate celebris B. Thomas? An non itidem S. Bonauentura? An non sancti simul, & studio impensi fuerunt Antonini, Antonij, Bernardini, & alij ferè infiniti, quorum memoria adhuc nostra viget ætate?

Veniamus ad propinquiora tempora; Intuemini sacros omnium Religionum Ordines: ibi cernere est homines virtutibus, litterisque florentes: Ibi videre vndiquè præclaros viros sanctos simul, & doctos; qua in re præcipuè Sacer Prædicantium Ordo relucet, Alma Iesuitarum Societas resplendet, Celebris Minorum tam Conuentualium, quàm Obseruantium familia corruscat. Quæ omnia argumento sunt, posse simul homines litterarum studijs incumbere, atque etiam virtutum exercitationi, ac pietati vacare. Quin tandem ipse Seraphicus Pater pijs suorum fratrum desiderijs indulsit, eisquè vt studio litterarum vacarent, veniam impertit. Quid ergo? Aliam ego insuper huiusce rei propinquiorem arbitror addendam esse rationem. Concessit sanè S. Franciscus Fratribus suis, vt aliquod litterarum studium ad officium prædicationis exercendum adhiberent, quod nostræ quoq; Constitutiones permittunt nedum, verùm etiam iniungunt. Quia ergo Fratres Capuccini iniunctum sibi à Domino, & Beato Francisco prædicandi munus toto studio exercere debent, ideò in gratiam

tiam

tiam prædicationis à librorum compositione eos conuenit abstinere; decet namq. huiusce Religionis alumnos, tanquam præcipuos Christi Iesu discipulos, præcipuam, & excellentissimam amplecti docendi normam, expedit nempè, imitatores Christi Christum docendo sectari Magistrum.

Recordamini, quæso, celebrem illam à Beato Thoma Doctore Angelico 3. part. artic. 4. quæst. 42. excitatam quæstionem, an scilicet conueniens fuerit, Christum scriptis magè, an potiùs verbis prædicando suam propalare doctrinam? Incumbite diligenter solutioni, attendite Doctoris ingenium, obseruate rationem; ait ille in corp. articuli, minimè decuisse, Christum suam scriptis, atqui potiùs verbis, sermonibus, & prædicationibus aperire doctrinam; quoniam iste docendi modus longè illo præstantior est; & decet, nobilissimum Magistrum nobilissimam tenere docendi rationem. En ista est porrò, meo iudicio, altera vera, & realis causa, cur Capuccini cæteròqui libris texendis idonei ab eorum scriptione se abstinuere, quoniam videlicet Capuccini non libris componendis, sed prædicationis muneri exercendo à Deo in mundum missi sunt.

Hoc itaque studium Seraphicus Pater post multos lachrymarum imbres, assiduas preces, iugeque Deo sacrificium oblatum, vt suam dirigeret familiam, optimamque inspiraret doctrinam, multùm commendauit; vt propterea fuerit Fratribus Minoribus semper summè acceptum, magno ardore exercitum, ingenti fructu præstitum, summaque Religionis, ac totius Ecclesiæ laude expensum; & nunc eò ampliùs desiderium Euangelizandi corda Fratrum inflammauit, vt omne studium, laborem, & operam in illud conferant, & impendant. Et cum tam insigne ministerium existat, parum dignum putabimus, in quod totum affectum conuertamus: faxit Deus, vt tantum desiderium in nostri honoris præiudicium nunquam imminuatur. Hæc sit portio nostra, hæc laus, hic decor, vt Christum Dominum imitantes prædicando, eius doctrinam & scientiam mentibus fidelium imprimamus.

Sic quippè præstitere Maiores nostri, officium prædicationis super quęcunque alia studia semper diligentes.

Cæterùm alios mihi extollenti, & Prædicationem compositioni præferenti obijcientem audio aliquem. Si tam pretiosum est prædicandi exercitium, vt compositioni longè

ante.

antecellat; cur scriptioni te ipsum applicuisti? Fateor plane, prædicationi haud comparandam esse compositionem; sed ego, qui parum, aut nihil tam diuinæ artis possideo, miser ad viliora, magna cum cordis mei angustia, animum conuertere coactus sum. Reliquum est; quoniam tam prædicatio, quàm compositio in laudem *Dei*, & salutem animarum ordinanda est, ita me geram, vt vndique Deo honor, & hominibus fructus proueniat.

PROTE-

# PROTESTATIO FIDEI.

NE igitur quiſpiam inde ſibi ſcandali, aut offenſionis anſam arripiat, vnde debuerat viam reperire ſalutis, vt moris eſt hominum impiorum, & maximè hæreticorum, noſtrorum ſcripta deprauantium, aut ad ſuas falſas doctrinas perperam adhibentium; conteſtor vos, quibus ex munere fidem noſtram contra hæreticos propugnare incumbit; vt, ſi quæ aliquando in his, cæteriſque meis ſcriptis offendantur, quibus quoquomodo fidei, aut Religioni Chriſtianæ præiudicium inferatur, quantociùs extrudenda, abolenda, & expungenda ſtudeatis. Nonſolùm autem tali cenſuræ ſubiecta eſſe volo, quæ manifeſtam aduerſùs fidem continent ſententiam, aut ſuſpectam hæreſis præferunt doctrinam; verùm etiam illa, quæ aut Chriſtianis à fide apoſtatandi, aut hæreticis in ſuis erroribus, quos deteſtor & execror, perſiſtendi, eoſque tuendi materiam quoquomodo ſuppeditant, quamlibet iſtud ſcandalum foret merè paſſiuum; ſeu quia verba non percipiunt, aut percipere nolunt; ſeu quia verba ipſa talem videntur emittere ſonum, & quem ipſi dicunt, efficere ſenſum; præſtat enim, & iſtud ipſum à Deo, omnique viro pietate in Deum, & zelo in Romanam Eccleſiam accenſo obnixè expoſco, vt hi libri mei comburantur, & omninò luce priuentur, quàm vt luce potiantur, & ab hominibus in animæ detrimentum, & fidei ſcandalum perlegantur. *Si* enim (vt *Seraphicus Pater* cupiebat) Frater Minor tanto in Eccleſiam Romanam, & Fidem Catholicam pietatis zelo debet eſſe accenſus, vt propriam carnem ignibus comburendam, & impiorum telis, flagelliſque cruciandam, ac totum ipſum corpus cruciatibus quibuſuis ad Fidei defenſionem exponendum ſemper paratus inueniretur; quantò magis quæcunque ſua ſcripta per aliquam viam Fidei præiudicantia ignibus comburenda, & ab hominum memoria repellenda deſiderare debet? *S*anè igitur huiuſmodi ſcripta è libris deleantur,

tur, & omninò lectione prohibeantur; immo ita profundè sepeliantur, vt nunquam exenterari valeant; Et ita ego volo, & suppliciter exposco. Et si fors continget eos, quibus ex officio hanc curam suscipere incumbit, incuriosiùs, quàm par est, agere; & negligentiores, quàm in re tanti momenti conuenit, inueniri; quæso Religionem meam in visceribus Christi, & omnes, ac singulos Fratres exoro, vt istud citissimè exequẽdum laborent, nec vnquã desistant, donec abolita fuisse certò sciant. Sin verò & isti deficiant, quod absit, præcor vnumquemque vt hanc curam suscipiat, & ita se mecum gerat, vt ignorantiæ meæ animaduertantur, & deleantur. Quòd si nullus inueniatur, qui sibi id pectori accipiat, protestor ego ante Deum, & omnes legentes attestor, huiusmodi dicta fore ac non dicta, ac proinde non esse mea, nec ad aliquod testimonium, aut semiplenam probationem efficiundam valitura, quia verè nolo, illa scripta esse, & huiusmodi omninò nunc, & semper retracto.

Hæc Dilectissimi, ante quamcunq. quæstionum explanationẽ præmittenda esse putaui, quæ tanquam certum testimonium ad meas ignorantias excusandas poterit quis in perpetuum adhibere; ne, vt dixi, hominum malitia compositionis vtilitatem commutet offensioni, & pietatem conuertat iniquitati: Neq. enim tantum mihi, aut intellectui meo tribuo, vt ipse solus omnem veritatem oculo mentis perspexisse, & ab omni erroris scoria separasse credam; vt propterea in meis scriptis defæcatum omnino sapientiæ vinum expresserim, quod absq. veneni periculo, & mortis metu possit ebibi: Nõ sunt libri mei libri Hilarij, nec verba mea verba illius, vt propterea inoffenso posse decurri pede existimem: etsi enim nil vnquã, quod non sit ipsa veritas, scribere in animum firmiter proposuerim, vereor tamen, ne aliquando ex ignorantia, aut inaduertentia falsum pro vero assumpserim. Prę terquamquòd fieri potest, vt aliquæ veritates à S. R. Ecclesia in posterius decernantur, quibus cum si fortasse doctrina mea non cohærere conspiciatur, purgandam cupio, & omnino fidei conformandam, vt nihil in meis libris inueniatur, quod omniquaq. cum fidei veritate non conueniat. Agite ergo his venenum correctum remedijs ad salutem ebibi poterit; & ego tuta conscientia huiusmodi electuarijs purgatum medicamentum infirmis propinare valebo.

PRAEFA-

# PRÆFATIO AVCTORIS IN LAVDEM SCIENTIARVM, PRAESERTIM VERO DIALECTICAE.

FVit Veterum Philosophorum communis sententia, à multitudine abhorrere Sapientiam; sicut refert Lactantius Firmianus lib. 3. de falsa sapientia cap. 45. Idcircò quòd multarum scientiarum, & artium notitia ad perfectam, & completam sapientiam requiratur. Discendæ primò sunt communes literæ propter vsum legendi; quia in tanta rerum varietate nec disci audiendo possunt omnia, nec memoria retineri. Grammaticis quoque non parum operæ dandum, vt rectam loquendi rationem discas. Nec Oratoria ignoranda; vt ea, quæ didiceris, proferre, & eloqui possis. Dialectica pariter discenda, vt rectè disserere, verum a falso discernere, occulta detegere, confusa aperire, errores repellere, verum comprobare, ac roborare valeas. Nec tandem omittendæ Philosophia, Metaphysica, ac Theologia; sine quibus nemo vnquam sapiens habitus fuit. Quæ omnia cùm pauci discere valeant, meritò sapientiam non esse vulgarem affirmabant; quòd eam nonnisi homines acuti ingenio, fælices memoria, ardentes voluntate, viribus corporis fortes, longo studio, labore, ac ærumnis assequi possunt. Vera quidem hæc omnia. Sed nunquid generosos animos, & adolescentes præclaros a studio liberalium artium propellere, ac propulsare poterunt? Difficilis sanè est rerum cognitio, sed dulcis; laboriosum est studium, sed iucundum; arduum est opus, quod aggrederis, sed delectabilis materia, quam quæris: suauitatem in legendo, gaudium in cognoscendo omnem animi languorem resarcire, ac corporis laborem subleuare non dubites. Augustinus ait, Beatitudinem esse gaudium de veritate, ad quam facilè pertingunt, qui eam cupiunt, quærunt, & diligunt. Quid dicam? Non est, nec vocari potest perfectus homo, qui scientijs, ac rerum cognitione caret. Quid enim, quæso, prodest homini, pollere ratione, & ratione non vti? Quid proficit, intellectiuam habere potentiam, & nequaquàm intelligere posse? An non intellectus est tabula rasa sine scientijs? An non futilis est potentia, quæ munera sua exercere non potest? Omnes aliæ creaturæ rationis expertes naturali quodam appetitu

titu

titu in suos fines diriguntur; at homo rationis particeps nec seipsum regere sine scientia, nec sine doctrina ad suum finem poterit peruenire. Sunt potentiæ nostræ propter Adæ peccatum adeò suis pensis peragendis ineptæ, vt neq; intellectus rite intelligere, nec ratio rectè discurrere, nec voluntas benè valeat operari; ideò egent habitibus, vt & ad rectas operationes exire, & sua munia faciliùs, & securiùs valeant exercere. Quapropter omnes Sapientes tanti scientias æstimarunt, vt, patrijs sedibus relictis, contemptis carnis illecebris, spretis diuitiarum fastis, deiectis sæculi voluptatibus ad scientiarum studium sese toto corde conuerterint. In primis verò Dialecticam artem artium,& omnium scientiam scientiarum non immeritò plurimi fecerunt, quippè, cùm omnis ferè nostra cognitio habeatur per discursum, eam maximè vtilem, ac necessariam ad scientias acquirendas, quæ disserendi modum, & artem vnum ex alio deducendi docet, existimarunt. Non est ergo floccifacienda Dialectica, quasi sit puerilis ludus; quinimmò magno in honore habenda, ex cuius vsu tam multæ effluunt vtilitates, vt paucis verbis nequeant explicari. Est enim fons, & origo scientiarum; est ianua, qua aperitur nobis aditus ad thesauros Christianæ Sapientiæ inueniendos;est denique instrumentum, quo omnes scientiæ vtuntur,& sine quo perfectam cognitionem humano intellectui imprimere nequeunt. Non est, cur vltra immoremur in laudibus Dialecticæ, cùm olim ab innumeris Patribus, & Magistris sit summis laudibus celebrata.

Nos in hoc Dialectices opusculo breuiter, ac dilucidè ea declarabimus, quæ adolescentibus vtilitati, ac emolumento futura existimabimus: si quæ quæstiones supererunt, eas latiùs explicare in Physicis, aut Metaphysicis relinquemus;tū quia non est bonum adolescenti varias,ac difficiles quæstiones proponere;tum quia non est munus Dialectici diuersas sententias in medium afferre, & veras ā falsis discernere; sed ea magis neotericis lacte potiùs, quàm solido cibo egentibus, vtpotè adhuc parùm exercitatis, breuiter proponere, ac dilucidè enucleare, quæ certis disserendi modis tenellā mentem imbuere, animumque excolere possint. Neque enim id nobis tantummodò curæ est, vt plura ponamus, quæ mentem, ac rationem obruunt; sed in id studium impendimus, quod immodicam legentibus suauitatem, ac perennem vtilitatem conferre valeat. Agè ergo prolixas disputationes, ac perdifficiles quæstiones ad tempus missas faciamus, & laconicè ea in præsentiarum duntaxàt edisseramus; quæ Dialecticæ ad scientias capescendas recèns manum admouentibus deseruire posse prænoscimus,ne frustra magnum laborem sustineamus, & (quod maius est) oleum, & operam prodigamus:cùm præsertim nō sit Dialectica tam difficilis cognitu, vt ab omnibus

bus cõmuniter affirmatur; sed maior ipsius difficultas vt plurimũ oritur ex ardua, abstrusaque methodo, qua plerique in ea explicanda, ac paruulis neophytorum ingeniolis proponenda, ac demum tanta opinionum varietate, ac rerum difficilium multiplicitate immiscenda, quę tamen nec esse vtilia, nec vsu practicari posse, experien tia optima rerũ magistra demonstrat, perpetuò vtuntur.

# PARTITIO GENERALIS SCIENTIARVM.

AGgredimur Dei, Beatæ Virginis, ac Seraphici Doctoris patrocinio freti pergrande Opus; breuem scilicet, facilem, ac dilucidam potissimarum scientiarum explanationem; ex quarum notitia tria potissimum, quæ hominem fælicitatis primæ deiectum in hac vita miserrimum reddunt, prioris dignitatis participem efficere possunt, ex parte reparantur. Sunt autem hæc. Primò, cuiuspiam veritatis discursu percipiendæ maxima promptitudo, quam quidem homini naturaliter inditam, & dono *Dei* mirificè auctam ipse homo per peccatum in tantum amisit, vt vix aliquod naturale differendi principium retinuerit. *S*ecundò, maxima ad res naturales dignoscendas aptitudo; à qua tam longè miser homo errauit, vt sicut se habet oculus Noctuæ ad lumen Solis, sic intellectus illius ad manifestissima naturæ. Tertiò, non modica ad ea etiam, quæ Dei sunt, & ad Deũ spectant, intelligenda habilitas; qua adeò fuit spoliatus, vt densissimis ignorantiæ tenebris obuolutus vix à longè quicquam, quod ad Deum spectat, percipere valeat. Hæc, inquam, tria, vt inquit Seraphicus Doctor, quodammodò sunt, quæ per habitus scientificos reparantur. Primò nanque per Dialecticam redditur promptitudo differendis. Secundò per Philosophiam restituitur habilitas res naturales cognoscendi. Tertiò deniq. per Theologiam tum naturalem, tum supernaturalem ipsum Deum, & quæ Diuina sunt, intelligendi facilitas recuperatur.

Quamobrem ex fine *S*cientiarum, qui est intellectum ad omnia ritè, promptè, & facilè percipienda habilitare, generalis earundẽ diuisio congruè, & ordinatè potest assumi; vt scilicet omnium operum nostrorum seriem ad has quatuor scientias in vniuersum redigamus. Primò ad Dialecticam. Secundò ad Philosophiam. Tertiò ad Metaphysicam. Quartò denique ad Theologiam.

DIVISIO

# LIBER PRIMVS.

## DE TRIPLICI OPERATIONE INTELLECTVS.

## Ordo Libri Primi.

### HIC PRIMVS LIBER CONTINEBIT, Septem Tractatus.

*Primus erit de Prolegomenis Dialecticæ.*

*Secundus De prima, & secunda operatione intellectus; nempè de Diuisione, & Definitione.*

*Reliqui sequentes erunt omnes de tertia operatione intellectus; nempè de Discursu; hoc ordine.*

*Tertius, Quartus, & Quintus erunt de materia conficiendi Discursum: Ita vt hic Tertius sit de Nomine, Verbo, & Signis; quia ex his, quasi ex quibusdam primis elementis conficitur Discursus.*

*Quartus de Prædicatione quæ ex Nomine, & Verbo conflatur.*

*Quintus de Propositione; quia in ipsa stat vis prædicationis & ex qua benè disposita consurgit postea Discursus.*

*Sextus de ratione formali Discursus, & de ijs, quæ Discursum comitantur.*

*Septimus & vltimus de Medio ad Discursum; nempè de ratione, & auctoritate; quia omnis Discursus aut rationi, aut auctoritati innititur.*

# TRACTATVS PRIMVS. DE PROLEGOMENIS DIALECTICÆ.

*IN HOC TRACTATV VIDEBIMVS,*

1 *De nomine Dialecticæ.*
2 *De ipsius vtilitate, & necessitate.*
3 *An sit scientia, & qualis.*
4 *De subiecto Dialecticæ.*

## DE NOMINE Dialecticæ. Cap.I.

QVONIAM in id incũbit omnis labor, & industria nostra, vt breuem, facilemq. Dei, ac Seraph. Doctoris auxilio ad omnes sciẽtias capessendas aditum aperiamus. Ideo à Dialectica auspicantes, antequam vlteriùs progrediamur, quid sit Dialectica ex nominis ethymologia breuiter videndum est. *Dialectica ergo* (vt à nomine incipiamus) *dicta est quasi Disputatrix*; quia dialecticæ munus est de omni re probabiliter disputare. Et licèt omnes scientiæ suas conclusiones differendo, ac disputando probent; est enim scire, (vt ex Philosopho colligitur) rem per causam differendo cognoscere; quo pacto quælibet scientia Dialectica nominari potest: Quia tamen Logica sola rectum differendi modum tradit, & de omnibus probabiliter differit; ideo nomen Dialecticæ ad illam artem, quę est omniũ Scientiarum Magistra, meritò translatum est. Quo fit, vt Dialecticæ nomen non sit proprium huius primæ facul-

facultatis, sed potiùs appropriatum; meritò tamen ratione iam supra allata. Dicitur enim illud nomen proprium alicuius, quod illi soli competit: illud verò appropriatum, quod, licèt pluribus conueniat; vni tamen propter maiorem cum nomine conuenientiam attribuitur: vt colligitur ex S. Bon. in opusculo, cui titulus est *Declaratio terminorũ Theologiæ*. S. Bon.

2. Ex quo sequitur, Discursum, quem nomen Dialecticæ importat, & significat, non ita propriè Logicæ conuenire, quin & alijs scientijs competat: solam tamen Logicam discursiuam appellari; quia ipsa sola per se circa Discursum versatur tanquam circa proprium obiectum. Qui discursus non est aliud, quã quædam regula deducendi vnam rem ex alia; quæ deductio licèt possit fieri solo lumine naturæ cuilibet potentiæ intellectiuæ à primordio suæ creationis indito; & appellatur Discursus naturalis: quia tamen sola natura non sufficit ad omnem veritatẽ differendo sine errore colligendam: ideò inuentæ sunt aliquæ regulæ, per quas infallibiliter potentia intellectiua veritatem rei differendo colligit; & hic discursus regulis Dialecticæ ordinatus appellatur scientificus, & artificialis non ea solùm ratione, quia arte, & industria comparatur, sed etiam & magis, quia est artificiosè per regulas ordinatus.

3. Ex quo duplici discursu naturali scilicet, & scientifico orta est illa diuisio Logicę in naturalem, & artificialem, de qua Arist. 1. Rhet. 1. Logica naturalis est quędã habilitas potẽtiæ intellectiuę naturaliter indita, per quã ex cognitis apta est venire in cognitionem rerum incognitarum. Logica verò artificialis est habitus quibusdam regulis artificiosè dispositus, ita disponens intellectum, vt certò, & facilè possit de quacunque re ratiocinando veritatem inuestigare. Vocatur etiam hæc facultas Logica à *Logos*, ꝗ gręcè est sermo; quia est scientia de sermone. Vt benè ait Seraphicus in Opusculo de principio Sacræ Scripturæ. Arist. S. Bon.

## De vtilitate, & necessitate Dialecticæ. Cap. II.

1. IAm breuiter traditũ est, quid sit Dialectica, quidue hoc nomen, *Dialectica*, significet. Superest, vt aliquid de eius vtilitate, ac necessitate paucis dicamus. Primò ergo, Dialecticam ad omnem veritatem inueniendam maximè prodesse, nemo est, qui ignoret: Quippè cùm intellectus humanus multis ignorantię tenebris detineatur, & (quod peius est) propter peccatum phantasticis, vt plurimum, imaginationibus, & carnalibus desiderijs in sua obiecta nimis mise-

rabiliter protrahatur, nisi aliqua regula, & ratione dirigatur; necesse fuit, aliquam reperiri artē, quæ tenebras ignorantiæ fugando, ad veritatis lucē ipsum perduceret, & viam veritatis ostenderet. Hæc autem ars profectò est Dialectica, quæ naturalem potentiam perficiendo, certum differendi modum tradit.

2. Non modò autem vtilem, sed necessariam quoq. esse Dialecticam quisq. fateri cogetur; si perspiciat, in quot errores in dies labantur homines circa rerū veritates inquirendas; à quibus erroribus se ipsos facilè expedirēt, si Dialecticas institutiones, regulasq. possiderent. Quocirca meritò à vetustioribus Philosophis tanquam oraculum certum habebatur, Dialecticam esse ianuam, per quam ad veritatem occultam intratur, & ad occultiora, & remotiora veritatis sacramenta aditus reseratur. Ea etiam de causa dicitur instrumentum scientiarum, sine quo alię scientiæ exiguo sunt emolumento, & vtilitati. Sicut enim substantia naturalis sine instrumento in suas operationes exire nō potēst, ita intellectus sine Logica, & hoc instrumento obiectum veritatis non potest attingere. Diciiur autem instrumentum aliarum scientiarum, quatenus materiam ipsarum, qua vnaquæq. scientia sufficienter abundat, recta forma syllogistica ordinat, & disponit.

3. Dialectica ergo, cuius solius munus est, rectam differendi rationem tradere, atque ex notis miro quodam ordine ad incogni ta ratiocinando perueniendi methodum docere, meritò appellatur Ars artium, & Scientia scientiarum; qua aperta omnes aliæ aperiuntur, & qua clausa, clauduntur: Omnis enim scientia indiget Logica, ad suas argumentationes, & demonstrationes rectè conficiendas, in quibus tota vis sciendi per discursum posita est: Qui discursus, quatenus ab alijs scientijs ad suas veritates demonstrandas adhibetur, dicitur Logica vtens: Logica verò docens, quatenus certis regulis est à Logica ordinatus. Nihil est ergo homini, qui essentialiter rationalis est, & discursiuus, vtilius Logica, quæ docendo rectum rationandi modum, humanum intellectum ad naturalem suam perfectionem mirificè extollit.

4. Quia ergo omnium scientiarum, maximè autem Dialecticæ, est veritatem rerum inquirere, inquirendo inuenire, inuentam diligere, & toto cordis affectu tueri. Ideo, qui scientijs vacat, illud in primis curare debet, ne proprijs animi passionibus moueatur; quia adeò intellectū perturbant, vt ipsam veritatem nequaquam videre possit. Debet præterea magis suam opinionē

veritati

veritati accōmodare, quàm rem, cuius veritatem inquirit, in suā opinionem trahere. Non debet vlteriùs præceps in suas sententias irruere; sed, more sapientū, sæpè ac sæpiùs mente reuoluere, quæ de ore statuit proferre. Ad hæc secundùm sententiam Philosophi 1.Metaph. cap.2. debet studere, vt quantum fieri potest, omnium rerum cognitionem saltem in vniuersali acquirat, & quò difficiliora, & ab hominum sensu remotiora cognouerit, eò magis sapientiæ nomine dignus habebitur. Super omnia autem toto conatu studere debet, vt Deum timeat, & eius præcepta custodiat; vbi enim est timor Domini, ibi vera sapientia. Discat ergo vnusquisque, vbi sit timor Domini; quia simul cognoscet, vbi sit sapiētia, quæ requiescit in ore timentis Deum. Vnde meritò Lactantius Firmianus, neminem verè sapientem fore testatur, nisi veri Dei cultum, ac religionem colat, ipsi obediat, ac eius præcepta cordis affectu retineat.

Arist.

Lact.

## An sit scientia; & qualis. Cap.III.

1 DVo nobis sunt in præsenti capite breuiter expedienda: Primum, an Logica sit scientia? Secundum, qualis sit?

Quò ad primum; mirum est, quanta sit inter Dialecticos controuersia. Nos in hac difficultate, sicut & in alijs, ea vitantes, quæ à plerisq. eruditissimis viris longo verborum anfractu circunferuntur, paucis quæsitum resoluemus. Nam ex his, quæ infra de scientia propriè dicta enarrabimus, quid de hac re iudicandum sit, nullo negotio inferre licet.

3 Cæterùm illud in primis censuerim admonendum: cùm propterea notitia aliqua dicatur scientia, quia demonstrat effectus per causam, si naturam rei spectemus, nullam esse rem (vno fortasse excepto Deo) quæ non sit scientificę obnoxia cognitioni. Siquidem nulla res in rerum natura existit, quæ suam non habeat causam, à qua in esse constituatur; siue illa res spectet ad Dialecticam, siue ad quamcunq. aliam Scientiam, vel Artē. Quare in scientijs venandis non natura rerum attendenda est, sed modus procedendi. Si namque notitia procedat per causam, Scientiæ nomine digna erit; sin verò per signa, & coniecturas, non scientia, sed aut opinio, aut quippiam simile appellabitur. Scientia autem procedit per causam, probando passiones de subiecto, & alia huiusmodi. Etsi enim scientia non probet, aut quid sit subiectum, aut quid significet; sed vtrunq. supponat, vt ex S. Bon. Arist. & alijs inferiùs ex propo-

S.Bon.

Arist.

sito declarabitur; nilominus alia multa de subiecto demonstrat. exemp. causa, Logica supponit esse discursum, & quid discursus nomine designetur, sed demonstrat, discursum rectè concludere, necessariò demonstrare, probabiliter probare, &c. His prælibatis.

S. Bon. 3 Asserimus cum S. Bon. de Reduct. artium ad Theol. & de principio Sacræ Script. *Logicam esse scientiam*. Primò quidem, quia demonstratiuè procedit, & assertiones suas per causam probat; ex syllogismo enim, v.g. demonstratiuo scientificam inferri conclusionem; quia ex primis, & indemonstrabilibus procedit, ita certum est, vt vlteriùs demonstrari nequeat. Non est autem necesse, vt scientia omnes suas conclusiones scientificè probet; alioquin nulla daretur scientia; sed sufficit, vt eas tantummodò demonstret, quæ per se ad obiectum illius spectant. Verb. grat. quòd Physica scientificè probet, motum corporis naturalis ad proprium locum esse naturalem: & ad rem nostram, vt Logica sit scientia, satis superq. est, si demonstret, suos discursus esse optimos, rectè concludere, &c. reliqua verò, quæ per se non spectant ad obiectum, probabiliter.

4 Secundò. Omnis scientifica notitia innititur Dialecticæ, tanquam fundamento; quoniam fundatur in discursu: atqui impossibile est, ignobilius esse ignobilioris, & incertius fundamentum certioris. Ergo Logica vel est scientia, vel aliqua certior, & nobilior notitia, quã sit scientia.

Confirmatur; quia, si Logica non procedit scientificè, impossibile est humanum intellectum aliquam acquirere notitiam discursiuam. Probatur. Nam certitudo huius phylosophicæ conclusionis v.g. *Corpus mouetur naturaliter*, non tam pendet ex cognitione causæ illius naturalis motus, quàm ex illatione scientifica; puta, hoc corpus constat natura; ergo mouetur naturaliter. Vnde omnis quidem effectus (vt diximus) est demonstrabilis; quia necessariò propriam sui ipsius vendicat causam, at verè à quopiam demonstrari non poterit, si discursum dialecticum ignorauerit.

5 Confirmatius fit. Nam; aut modus, quo intellectus ducitur per discursum in notitiam alicuius conclusionis physicæ, v.g. est scientificus, aut non: Si scientificus, ergo discursus Logicus est scientificus, ergo & Logica est scientia. Si non est scientificus, ergo potest contingere error circa cognitionem illius conclusionis; ergo tandem cognitio illius conclusionis non erit scientia; cùm longè sit à scientia omnis erroris suspicio: Ergo, si regulæ Dialecticæ non sunt scientificæ, nulla alia scien-

tia

tia probare poterit scientificè suas conclusiones; cùm discursus ad venandas ipsas cognitiones assumptus subiacere possit errori, & falsitati. Istæc omnia pulcherrimo declarantur exemplo ex mysterijs fidei ducto.

6. Si quis enim velit probare per S. Scripturam, aliquid esse de fide; non satis est, si Scripturam Sac. adducat; verùm necessariò supponendum est, de fide esse locum adductum, & Scripturã esse Canonicã. Nam, si nõ est de fide, illam esse Canonicam Scripturam, nulla conclusio per eam probata erit de fide, vt patet: quia responderi poterit, non esse Canonicam illam Scripturam. Etenim, si non est de fide, v.g. Euangelium S. Lucę esse Canonicum, nullum erit argumentum ex eo petitum ad probandum, alia esse de fide. Ratio horum omnium est; quia fundamentum non est firmum; ergo neque ea, quæ illi nituntur. Eodem modo, si Logica, quæ est omnium scientiarum fundamentũ, non est scientia, nullus discursus à Logica petitus erit scientificus, atque adeo nulla conclusio scientificè deducta: Ergo Logica est scientia, & fundamentum scientiarum; cùm reliquę scientiæ suarum veritatem conclusionum dialectico discursui concreditam habeant. Adeò vt, si Logicus discursus possit falsitati esse obnoxius, alia omnia claudicare cogantur. Idipsum colligitur ex proportione dialecticæ ad prudentiam, quæ est prima virtus: sicvt enim prudentia, quæ est mensura, & regula virtutum, à qua ratio virtutis in ipsas descendit, non potest non esse virtus; sic Logica non potest non esse scientia. Hinc ipsa firmiori nititur fundamento; puta naturæ, & experientiæ. Quandoquidem, Aristotele teste, tunc vnusquisq. scire arbitratur, cum rei causam cognoscit: ergo Dialecticus discursus ab vniuerso hominum cœtu suæ testimonium certitudinis habet. *Arist.*

7 Sic autem asserimus, Logicam esse scientiam, vt tamen nõ negemus, esse etiam modum, aut instrumentum sciendi; cùm immò (vt optimè ait vbi supra S. Bonau.) magis sit modus sciẽdi, quàm scientia. Vndè simul vtrunque habet; vt videlicet sit scientia, & modus sciendi, etsi magis hoc. Quin inde potiùs Logicam scientiam, vel certè notitiam scientia certiorem habendam esse inferimus; ne modus, quo scientia procedit, nutare deprehendatur. Eatenus autem dicitur modus sciendi; quatenus tradit certas regulas cognoscendi res per causas, quod fit per discursum; vndè obiectiuè magè, quàm formaliter modus sciendi denominatur: quia ipsa non est formaliter, quo scimus, nisi respectu sui obiecti, & quatenus *S. Bon.*


est

est scientia; sed instrumentaliter, & obiectiuè; quatenus obiectum ipsius, nempè discursus est, quo aliæ scientiæ instrumentaliter vtuntur. Quod verò opponunt aliqui, Logicam scilicet non esse sui gratia; ac proinde non esse propriè scientiam; quia scientia propriè dicta est sui gratia, nullius momenti est: nam negatur, Logicam non esse gratia sui, quanquam etiam est gratia aliorum; id quod innuere voluit Seraphicus inquiens, sic esse scientiam, vt magis sit modus sciendi, & si quidem Logica ob hanc causam non esset scientia, neque Metaphysica esset scientia; nam & Metaphysica est gratia aliorum, quanquam adhuc magis Logica, quia est omnium scientiarum prima: esse autem gratia sui, aut alterius hic non accipitur, sicut sumitur, cum dicitur scientia speculatiua esse gratia sui, practica verò secus. Logica ergo est gratia sui in ordine ad proprium obiectum vt sic, seu vt est docens; gratia verò aliorum, vt est vtens; vel gratia sui, quà scientia; gratia aliorum, quà instrumentum, & modus sciendi. Atque hinc etiam patet, nil esse, quod alij obijciunt, scilicet non esse scientiam, quia est instrumentum sciendi; nam aliter est scientia, aliter instrumentum.

8 Quoad secundum asserimus, *Logicam esse speculatiuam*; quia tota est ordinata in id, vt ex quorundam notitia in aliorum veritatem deducat. Id namque est munus dialectici discursus, vt ex aliquibus notis ad incogni torum notitiam perducat; & hoc est Logicę intentum, vt certum scilicet modum præscribat, quo veritas cuiusque rei sine errore quæri, & inueniri possit. Nec obstat, Logicam esse directiuam operationũ intellectus, quia non dirigit eas circa aliquod opus, sed potiùs circa ipsã veritatem; vt colligo ex S. Bon. vbi supra; nam ideò iudicium dirigit, vt in iudicando error circa veritatem non contingat. Nec itidem obstat, esse instrumentũ; quoniam non est instrumentum operandi, sed sciendi. Quò verò huiusce veritas conclusionis altiùs intellectui tuo reponatur, accipe talem regulam, ex qua facilè dignoscere poteris, quænam sit scientia speculatiua, & quæ practica; vt scilicet quoties error dimanans ex habitus carentia est falsitas intellectus, & in ipso intellectu præcisè, veritatique soli opponitur, habitus ille censeatur speculatiuus, & non practicus: v.g. quia error, qui contingit ex ignorantia Philosophiæ, versatur circa falsitatem intellectus, & est in solo intellectu, ideo Philosophia erit habitus speculatiuus: Quod si error non sit solùm falsitas intellectus, sed magis defectus circa

Bonau.

opus

opus; scientia erit practica: vt qui errat in medicando, non tantùm fallitur in cognitione, quantùm in opere; ideò Medicina est practica. Ratio est, quia speculatiuus habitus versatur circa obiectum speculabile, practicus verò circa operabile. Quòd si ad practicam scientiam constituendam satis esset, scientiam dirigere intellectum circa veritatem, quælibet scientia esset practica; cùm quælibet dirigat potentiam intellectiuam circa actus sui obiecti; & circa notitiam veritatis, vt patet. Hęc quippe est necessitas habituū, de qua vberiùs in Metaphys. vt nimirum potentię circa actus sui obiecti regulentur.

9 Tandem dicimus, *Logicam esse vnam scientiam totalem*, idest vnicum habitum respicientem discursum ex pluribus habitibus partialibus constitutum; ita tamen, vt vnitas non consequatur præcisè ex vnitate obiecti, cùm potiùs ex se sit vna, atque subinde circa vnum obiectum versetur; etenim si quæratur rursus, quare sit vnum obiectum, oportebit redire ad vnam scientiam, & dicere, quia vna est scientia.

## De Subiecto Dialecticę. Cap. IV.

Vide Seraphicum lib. 1. de sum.

1 Mirum est, quanta congeratur Doctores circa hanc quæstionem de obiecto Logicę. Nos à nostro breuitatis proposito non recedentes, paucis, quid de hac re sentiamus, aperiemus. Primò autem admonemus, eos, qui alicui scientię operam nauare incipiunt, non posse, quod sit subiectum illius scientiæ cognoscere, donec illam studio, ac labore perceperint: siquidem illud est subiectum, de quo per se tractat illa scientia; quod profectò ignorant, qui necdum illi scientiæ manū admouerunt: vnde fit, vt in fine illius scientiæ perfectiùs cognouerint, quod sit subiectum illius, quàm in principio nosse potuerint.

2 Subiectum igitur, vt à nominis vsu incipiamus, multifariàm sumi, omnis concordat Philosophorum auctoritas. Subiectum enim primò dicitur id, de quo superius prædicatur, quo pacto Arist. cap. 2. de Anteprædicamentis ait. *Quædam de subiecto dicuntur, idest substantia secundæ de prima, & omnino superius de inferioribus*. Secundò sumitur pro altero termino propositionis, vt cum dicitur: *Petrus est homo*, Petrus est subiectū. Tertiò dicitur subiectum id, quod alteri subijcitur inhęrenti; vt substantia dicitur subiectum accidentium. Quartò pro eo, quod subest mutationi substantiali, quomodò passim in Physica materia appellatur à philosopho. *Primū subiectum mutationis*. Vltimò, subiectum dicitur *id*, Arist.

circa

*circa quod versatur aliqua scientia per se;* & idem est, quod obiectum, & materia circa quam, quo modo hic à nobis propriè vsurpatur, quando quærimus, quod sit subiectum Logicæ; cuius subiecti, & obiecti naturam, diuisiones, & conditiones alibi breuiter, ac dilucidè, vt credimus, explicabimus, quæ propterea nunc supponuntur. Quibus suppositis:

3 Asserendum primò, subiectum materiale Logicæ esse voces omnes ad discursum ordinabiles. Probatur, quia Logica accipit, & considerat, quæcunque sunt ad discursum ordinabilia: hæ autem sunt *voces*, capiendo voces non materialiter pro sono literarum, sed formaliter. *Dixi in assertione voces, &c. vt* ostenderem, non voces solùm præcisè, sed voces significantes esse materiale obiectum; hæ quippè solæ possunt ad discursum ordinari, vt patet. *Dixi etiam, voces,* quoniam tota intentio Dialecticę versatur circa sermonem, vt benè ait S. Bonau. opusc. de reduct. artium; non quidem vt sermo est simpliciter, & præcisè, sed vt est sermo significatiuus rerũ, & expressiuus. Vt idem S. Doctor in 1. dis. 41. q. vltima in corpore admonet. S. Bon.

4 Ex quo apparet, Logicam nec esse de vocibus præcisè, quia hæ discursui aptæ non inueniuntur, nec de rebus præcisè eadem ratione, sed de vocibus significantibus. Etenim ad disserendum assumuntur voces significantes, non res significatæ. Exempli gratia; Homo suscipitur à Dialectico ad suum discursum conficiendum, non vt est vox materialis, neque vt res est; sed vt est vox formalis significatiua. Vnde hæc propositio: *Homo est animal*; conflatur ex vocibus significantibus per se, & similiter totus discursus. Atque hinc colligitur, aliter pertinere voces ad Logicum, aliter ad Physicum, aut alium scientificum; nam ad Logicum per se, ad Physicum vt summum per accidens.

5 Asserendum secundò, subiectum formale vltimatum esse ipsum discursum artificialem, seu (vt alijs verbis vtar) ratiocinationem, & tertiam, & vltimam intellectus operationẽ ad persuadendum ordinatam. Probatur conclusio. Quia quicquid tractatur in Logica ordinatur ad discursum persuasiuum, seu ratiocinationem: propositiones scilicet figuræ Syllogisticę, definitio, diuisio, & tandem reliqua omnia non ob aliud tractantur in Logica, quàm in ordine ad discursum; non quidem quemcunque, sed dialecticum, & persuasiuum: ergo discursus est subiectum, &c. Vide Seraphicum ser. 1. de luminaribus. S. Bon.

Præterea illud est subiectum Logicæ artificialis, quod & naturalis;

ralis; sed obiectum Logicæ naturalis, est ratiocinatio, & discursus: ergo. Minor probatur. Nam Logica naturalis non est aliud, quàm quædam naturalis aptitudo animis à natura indita ad differendum; hoc est, vnum ex alio colligendum. Dico autem; *discursum artificialem*; quia naturalis (vt supra ostensum est) non est habitus, aut scientia. Hic autem discursus, qui constituitur à nobis subiectum formale Logicæ, cùm sit quid vniuersale, comprehendit & demonstrationem, & syllogismum topicum, Enthymema, & (vt verbo dicã) omnes species differendi, & vnum ex alio deducendi. Vnde discursus, seu ratiocinatio (vt optimè notauit S. Bonauent. in 3. dist. 23. art. 1. quæst. 5. ad 2.) est quid commune, & superius ad quatuor species argumentandi, Syllogismum, Inductionem, Enthymema, & Exemplum.

S. Bon.

6 Ex his apparet, discursum, seu tertiam operationem intellectus, esse vltimum, & adæquatum nostræ Dialecticæ subiectũ; cuius finis est, veritatem colligere, seu (vt ait Seraphicus) persuadere. At enim, quia communiter in scholis constituitur à Recentioribus subiectum Logicæ non ipse discursus præcisè, seu vltima operatio intellectus; verùm cum eo simul & aliæ duæ; Apprehensio scilicet, & Iudiciũ, seu Diuisio, & Definitio; necnõ etiam inter modos differendi connumerantur. Eapropter elaborandum est, vt huius opinionis falsitas, quantum nostri ratio instituti efflagitat, detegatur.

7 Igitur, vt ab apprehensione, seu diuisione incipiamus, rem subtiliùs considerantes, non posse sub vltimato Dialecticæ subiecto comprehendi, inde primò facillimè conijcitur; quòd vltimum illud est, ad quod alia ordinantur; ipsum verò non ad alia. Atqui Apprehensio, seu diuisio ordinantur ad discursum, vt per se patet, & ex infra dicendis clariùs adhuc cõstabit. Ergo. Nec valet ratio eorum, qui dicunt, simplicem Apprehensionẽ esse nobiliorem discursu; tum quia cognitio intuitiua (inquiunt) est nobilior discursiua: tum quia illa haberi potest sine ista, hæc verò neutiquam. Non valet, inquam; negatur enim, simplicem apprehensionem esse nobiliorem discursu, & ad rationes respondetur.

8 Ad primam dicitur, non esse in re nostra comparationem inter simplicem apprehensionẽ, & discursum; quia discursus comprehendit in se etiam simplicem apprehensionem, & definitionẽ. Vel, si est, nobilior est discursus ratione dicta; quia scilicet comprehendit etiam apprehensionem: sicut nobilius est animal rationale, quàm animal; quia in illo hoc quoque includitur.

Ad

Ad secundam, dato antecedenti, negatur consequentia; quia apprehensio est ordinata ad discursum, sicut simplex ad compositũ: certum autem est, nobilius esse compositum, quàm singulum componens: vt benè ait etiam Seraphicus in 1. dist. 17. par. 2. quęst. 2. ad secundum, & patet hoc in multis exemplis. Primæ enim qualitates, & simplices, etsi possint esse sine secundis, & compositis, & hæ non sine illis; istæ tamen sunt perfectiores, quia fiunt ex illis. Quare sumpta simplici apprehensione, & discursu in eodem subiecto, homine v.g. simpliciter nobilior est discursus. Sin autem comparetur discursus, & simplex apprehensio in diuersis subiectis, puta, simplex apprehensio in Deo, & discursus in homine; simplex apprehensio nobilior est; quia vt sic non ordinatur ad discursum. S. Bon.

9 Iam verò ad rem reuertens addo, impossibile esse, plura, aut subordinata, aut omnino separata posse habere rationem vltimi, sicut nec primi; sic enim implicat, post vltimum esse aliud, sicut ante primum; quia nec istud esset primum, nec illud postremum; vt patet. Ergo apprehensio sub vltimato Dialecticæ obiecto minimè comprehenditur; reorq. propterea, neque inter modos differendi esse collocandam; cùm (vt passim docet Aristoteles, & alij communiter testantur) non subsit illi falsitas, aut veritas, affirmatio, aut negatio. Si ergo reiecta fuit ab Aristotele extra Dialecticam imperfecta oratio; quippe quæ non includit aut veritatem, aut falsitatem; quid quod est, vt inter modos differendi, & intra subiectũ Dialecticę computetur simplex apprehensio, à qua veritas non minùs distat, quàm ab imperfecta oratione. Arist.

10 De diuisione verò licèt non ita certum sit, ipsam præcisè sumptam ab affirmatione, aut negatione, ac proinde à veritate abesse; quia sæpissimè affirmationi, aut negationi adiuncta est: nilominus probare licet, diuisioni quoque nullam subesse affirmationem; cùm planè contingat separare prædicata per intellectum ex sola ipsorum simplici conceptione. Sed agè, concedamus, diuisionem includere negationem, ac proinde veritatem, saltem prout opponitur compositioni; negandum tamen est, aut per se inter modos differendi conscribi, aut ad subiectum vltimatum reuocari; cùm luce clarius sit, in sola vnica propositione non interuenire Dialecticum discursum, qui docet modũ vnum ex alio deducendi. Cùm ergo tã diuisio, quàm apprehẽsio non nisi ordinatim ad discursum attineat, & similiter Logica in ordine ad discursum considere-

tur

tur, non est, cur vltimatum Dialecticæ subiectum constituatur.

11 Idipsum eisdem ferè rationibus de definitione demonstro. Nam sic definitio, sicut & diuisio est ordinata ad discursū, qui solus rationem vltimi adæquatè in se cohibere potest. Similiter etiam à modis differendi per se excluditur; quoniam in definitione præcisè veritas, aut falsitas non reperitur, vt per se patet. Etenim non minùs abest à veritate definitiò, in qua assumitur genus, & differentia, quàm ipsum genus, & differentia. Ergo sicut cum dico *Animal*, aut *Rationale*, nihil affirmo; aut nego, atque adeò nullam veritatem enuncio: ita cùm dico, *Animal rationale*. In iudicio verò licèt interueniat affirmatio, aut negatio non interuenit tamen aliqua discursiua illatio; ideo etiam iudiciū vlteriùs ad discursum ordinatur.

# TRACTATVS SECVNDVS.

## DE DIVISIONE, ET DEFINITIONE.

### *IN HOC TRACTATV VIDEBIMVS.*



### Quid, & quotuplex sit diuisio. Cap. I.

1 SVblato iam impedimēto, quod in re graui magnum facessebat negocium; ostensoq. neque diuisionem, neque definitionem

tionem posse adęquatum Logicæ subiectū constitui. Superest, vt quid vtraq. sit, ordine recto procendentes, quaue ratione Discursui valeat deseruire, disquiramus.

Est ergo Diuisio (vt ab ea exordium capiamus) instrumentum intellectus compositum aliquod in singulas, vel aliquas eius partes diuidentis; vt, singulis diuisim perceptis, faciliùs ipsum totū adæquatè cognoscat; cùm enim intellectus humanus sit finitę virtutis, nō potest vnico conceptu plura simul distincta intelligere; sed indiget diuisione, quā mediante, ipsū totū in plura partitur, quod deinde pluribus conceptibus absolutè cognoscit.

2 Verùm, antequam vlteriùs sermonem extendamus, sciendū est, varia esse diuisionis genera, secundùm quod plura, ac diuersa sunt, quæ diuidi possunt. Et quia diuisio supponit compositionem, aut multiplicitatem in re diuidenda (vnum quippè, & simplex, vt tale est, non subiacet diuisioni) videndum est, quot modis aliquid componi contingat. Quidem S. Bonauent. 1. sent. dist. 8. par. 2. a. 1. q. 2. & 2. dist. 3. par. 1. art. 1. quęst. 1. multigena compositionum genera accuratè recenset. Alia enim componuntur ex partibus essentialibus; vt Cœlum ex materia, & forma. Alia ex partibus integrantibus; vt corpus humanum ex manibus, pedibus, & aliis. Alia ex partibus quantitatiuis; vt linea, & omnia alia quanta. Alia ex pluribus naturis tam essentialibus, quàm accidentalibus; vt homo, & alia huiusmodi. Alia denique alijs modis; vt ex natura, & supposito; modo, & re: si tamen veræ sint compositiones, de quibus non est hoc loco valde laborandum. Eia ergo secundùm hanc variam rerum compositionem, variam itidem contingit fieri diuisionem, vt alia diuidantur in partes essentiales; alia in partes integrantes; alia in partes quantitatiuas; siue quantum sit continuum, siue discretum: vtrunque enim suo modo subiacet diuisioni, ac partitioni: nam diuisio est eorum, ex quibus aliquid componitur, aut constat, separata distinctio. Licèt autem omnis diuisio quoquomodo ad Dialecticam pertineat, quatenus scilicet, mediante diuisione, plura ab intellectu meliùs percipiuntur, quæ absque diuisione aut nullo modo, aut saltem incompleto intelligi possent; ea tamen diuisio, per quam aliquod totum in plures conceptus, seu prædicata diuiditur, magis propria est Dialectici, & potissimùm Dialecticæ inseruiēs ratiocinationi. Hac siquidem secernuntur communia à particularibus; intrinseca, & essentialia ab extrinsecis, & accidentalibus separantur. Quo fit, vt per hanc diuisionem quid res habeat

S. Bon.

beat

beat commune cum alijs, quidue sibi particulatim conueniat, intellectus perspiciat; quæue sint rei essentialia, & quæ illi extrinseca, & accidentalia clarè percipiat. Quæ tamen omnia assidua indigent obseruatione, & multorum adinuicem collatione. Sic quippè intellectus, obseruando v.g. quædam in homine reperiri, quæ in alijs quoquè inueniuntur; vt esse substantiam, corpus, &c. colligit hæc esse homini cum alijs communia.

3 Rursus, considerando quædam alia in homine, quę non est in alijs ab homine inuenire; vt discurrere, ridere, &c. infert; hæc esse solius hominis propria. Vlteriùs, spectando aliqua interdū homini inesse, aliquando non; & eorum absentia, vel præsentia ipsum non interire, necessariò deducit, ea esse homini extrinseca, & accidentalia. Iterum, conspiciendo alia esse ita cum homine connexa, vt semper illi inhęreant, atque, si ab eo auferantur, ipsum interire, conijcit, ea esse homini essentialia. Demum, speculando, aliquod ens esse corpus, & non viuere; aliquod viuere, & non sentire; aliquod sentire, & non discurrere, necessariò fateri conuincitur, aliam esse rationem corporis, aliam vitæ, aliã sensus, aliam ratiocinij; cùm alterum eorum sine altero esse contingat.

4 Hæc igitur breuiter est diuisio, diuisionis vtilitas, ac modus, quę ad rerum cognitionem adipiscendam inseruit, ne scilicet immaturiùs, quàm par est, incedendo, attribuatur rei tanquam cōmune id, quod est proprium, & tanquam intrinsecum, quod est ei extraneum. Sed enim illud in calce capitis istius operæ pretium fuerit admonere, geminum esse diuisionis genus. Alia siquidem est diuisio, in qua vnum ab alio excluditur, quod fieri nequit, nisi alicuius diuisionis interuentu: & huic opponitur compositio; quæ connexio, seù coniunctio appellatur, in qua prędicatum nectitur cū subiecto, atque semper est cum affirmatione, aut negatione. Alia est, in qua plura circa rem adinuicem secernuntur; siue hoc eueniat simplici conceptu, vt cum percipitur animal pręcisè, deinde viuens, & sic deinceps: siue complexè, vt cum intercedit affirmatio, v.g. in homine, aliud est animal, aliud viuens, &c. Atque hęc est propria diuisionis ratio, prout ad discursum ordinatur.

## De Distinctionibus.
### Cap. II.

1 Magnam profectò habēt affinitatem Diuisio, ac Distinctio; tantam vtique, vt nō rarò vtraq. & eodē nomine, & ꝓ eodē vsurpetur. Quare non erit abs re in pręsenti, compendiosū

de di-

& eidem repręsentantur; vt sunt bonitas; & sapientia in Deo. Eo aduerte, magnum esse discrimen; inter hanc distinctionem, & eam, quæ reperitur inter diuersas naturas; in eodem ente inuentas partiales tamen, & subordinatas; cùm hęc sit realis; & ante intellectus operationem inter ipsas naturas reperiatur; illa verò rationis, quia nullo modo, secluso actu rationis existit.

## Explicatur meliùs quid sit distinctio realis, & rationis. Cap. III.

QVoniam materia de distinctionibus amplissima est, ac necessarissima, de qua propterea omnes, ac singulę scientię, adeò frequenter mentionem faciunt, vt viis crediderim aliquid esse, quod in scholis crebriùs rememoretur; idcirco necessarium fuerit tantisper à proposita breuitate declinare, ac lydio (vt dicitur) lapide, totam rem hanc difficultatibus plenam, ac tricis maximis obuolutam examinare: & si enim cætera in hoc opere, pingui potiùs Mineruâ, & exoterico stylo examinanda suscepimus; interdum tamen, sic exigente necessitate, stylum mutare compellimur. Non est tamen propositi nostri ea omnia, quæ prolixissimè de natura, varietate, & differentia distinctionum ab utrinsque scholæ Thomicæ videlicet, & Scoticæ Doctoribus in medium afferri consueuerunt, perpendere: cùm præsertim ipsi supremi illorum iis scholę Magistri, ac Discipuli adeò inuicè dissideant, adeoque confusè loquantur, vt ipsimet uix sciant, quid dicant: quantùm igitur fieri poterit in hac ipsa amplitudine, & prolixitate claritas, ac breuitas more laconico captanda est.

2 Pro pleniori uerò totius huius disputationis notitia notandum est primò, nos in præsentia de distinctionibus uerba facere potiùs, vt sunt opus intellectus, quàm vt sunt aliquid in se; quatenus intellectus ipse in diuidendo rerum naturæ attemperare se debeat, vt ueritas, sicut decet, sarta tecta habeatur. Ratio porrò huius Notabilis, & vtilitas est maxima: si quidem disputare de distinctionibus absolutè, vt res quædam sunt, aut rei conditiones, aut aliud quidpiam, pertinet ad Metaphysicum, cui de passionibus entis, & præcipuè de unitate, quam comitatur multitudo, ac diuisio, tractatum habere incumbit; quemadmodum eo nos loci comonebimus. Atque hinc patet, cur nos desinitioni distinctionis immorantes, eam potiùs in ordine ad opus intellectus, quàm ad rem ipsam assignauerimus.

3 Notandum secundò, licet

tatem in concreto satis superq. est, vt in exemplis de subiecto, & accidentibus mox allatis nimis patenter apparet: quæ cùm distinguantur formaliter, vt minimum, inuicem prędicantur.

4 Et cõfirmatur totus hic discursus; nã distinctio rei a re ponit in numerũ; itaut quæ hoc modo distinguũtur, verè plura entia existant; materia autem, & forma, & compositum non numerantur; similiter nec subiectum, & accidens; nec natura, & persona; ergo hęc non distinguuntur inuicem, vt res à re. Sequela patet; antecedens probatur, quia ea solùm veniunt in numerum, quæ sunt inuicem per quantitatem discreta; quia numerus est species quantitatis discretæ: Nisi igitur, quod sit cum altero continuum, ab eo distingui perhibetur vt res à re; nec iuuat, si dicatur, posse inuicem separari saltem per Dei potentiam, quo argumento, ac signo tanquam verosimiliori ad indicandam realem distinctionem omnes ferè vti consueuerunt, vt patet per

Suar. Suarium, qui multa præ alijs, loco in fine Tractatus citando, de hac materia congeminat: non iuuat, inquam, nec vacat; nam distinctio non respicit potentiam, sed actum; alioquin plures partes vnius continui dicerentur distingui, vt res à re, quæ est nimis impropria, ne dicam falsa locutio: non valet etiam, si dicatur esse res diuersas, ac distinctas entitatiuè, idest diuersas entitates; cùm illæ plures antitates entitatiuæ sint vna tantũ entitas realis; entitas enim metaphysica non attenditur penes realem distinctionẽ, sed essentialẽ; quia ens dicitur ab essentia, seu entitate: vt vberiùs in eadẽ Met. digeret.

5 Ex dictis collige duplicem hanc conclusionem. Altera: ea distinguuntur vt res à re, quæ sunt inuicem discreta, itaut faciant numerum, puta lapis à lapide, ab homine, &c. materia à forma, quando vtræque separatæ de facto detinerentur; nam, cùm sunt inuicem connexæ, non distinguuntur vt res à re, sed potiùs ratione, vel formaliter, si formalis distinctio admittenda sit. Probatur ista conclusio; nam ea solùm, quæ inuicem sunt discreta, nullo modo sunt idem; omnia verò alia sunt aliquo modo idẽ; aut ergo sunt idem vt res, & res, & sic nõ distinguũtur vt res à re, sicut patet; aut sunt idem formaliter, & hoc non est absolutè verum de omnibus connexis, vt de substantia, & accidenti; ergo hęc omnia, vt minimum, sunt idem realiter, idest vna res. Confirmatur: nam nulla res vna distinguitur, vt res, & res, hoc patet; atqui Petrus albus est vna res, non duæ; ergo Petrus albus non distinguuntur; ergo Petrus non distinguitur à sua albedine, vt res à re: Altera est, cætera om-

nia distinguitur à ratione, & non formaliter; quæ conclusio, partim ex præcedenti explicata remanet, & probata, partim ex subsequentibus probabitur, & explicabitur.

## De Distinctione reali formali Cap. IV.

Mediam quandam distinctionem inter realem & rationis (quam realem formalem Scotistæ nuncupant) Scotus communiter induxisse fertur, de qua omnes Formalistæ multis multisque inuolucris obscuras adeo, vt quidam Neotericus Doctor non ignobilis pulchrè asserat Scotistas terminis implicari, quibus nec sciunt, nec possunt semet explicare. Et quid mirum cùm ipsimet Scotistæ de seipsis idem astruant? Lege Fauentinum in Tractatu de formalitatibus, qui nos mentiri non permittet. Lectis itaque hisce implicationibus, ac tricis, duo in hac re breuiter mihi videntur asserenda.

Scot.

Fauent.

Alterum est, distinctionem formalem non esse negandam; quod assertum duobus potissimum hisce argumentis conuinci posse opinor. Primò datur vnitas formalis apud omnes, non modò Scotistas, verùm etiam Auerroistas, Thomistas, & Iesuitas; ergo datur & distinctio formalis. Probatur sequela; quia vnitatem & indiuisionem sequitur diuisio, & eodem vnitatem talis diuisio habet; adde quod accidens, & suum subiectum non distinguuntur realiter, id est sicut res à re (vt in præcedenti capitulo probatum est) neque ratione; id enim nullus sanæ mentis audebit asserere, ne veluti desertor veritatis, & amicus dementiæ pugnis, calcibus, risibus, & scommatibus à scholarum terminis exsibiletur; ergo distinguuntur formaliter. Probatur sequela; quia non apparet, qua alia distinctione congruentius distingui habeant. Et confirmatur; nam hoc subiectum, & sua albedo non sunt idem formaliter, etiam si realiter; ergo sunt diuersa formaliter.

Alterum est, distinctionem formalem esse, cui aliqua entitas à parte rei distincta respondeat; non ita tamen, vt quæ respondet, sit ab alijs per quantitatem discreta, & seiunctum, nec veniat cum alijs in numerum. Itaque quæcunque non sunt eadem entitas omnino, nec sunt intrinsecè discreta, hæc omnia formaliter distingui perhibentur. Probatur; quæcunque sunt aliquo modo ad inuicem connexa, sunt aliquo modo idem, vt probatum est: aut ergo sunt idem prorsus omnimoda identitate indistincta, aut ita sunt idem, vt aliquam distinctionem admittant; si sunt idem primo modo, non faciunt distinctionem formalem; immò maximam identitatem, vt certum est:

est: ergo ea, quę sunt idem, itaut diuisionem admittant, erunt distincta formaliter. Confirmatur: quotiescunque distinctioni aliquid correspondet distinctum, illa distinctio non est solius intellectus, vt patet; Ergo erit realis, non realis vt res à re; quia id non est verum absolutè; ergo realis formalis; ergo ea, quæ inuicē copulātur sic, vt inuicem distinguantur, formaliter distinguuntur.

4 Ex his colligitur, inanem, ac futilē esse omniū Recentiorū conatū, vel vt hanc formalē distinctionem abijciant, vel vt eā non esse mediā ostendant: pro quo laborāt potissimū Iesuitæ, Suarez, & Mendozza hic: Vasq. Valentia, & alij in Theologia totos etiā neruos contendētes, vt Scotū ab ea (vt ipsi aiunt) mala sententia vendicent. Porrò distinctionem formalē non esse mediā per extremorū negationē, facilè eis cōcedo, cùm immò sit realis; quoniā est ante actū intellectus; verùm non omnis realis est formalis, nec contra; vel saltē non omnis formalis realis. Petrus.n. & sua musica distinguuntur realiter, quia, nullo intellectu cogitante, Petrus est aliud à musica; nō tñ distinguitur realiter realiter, quia Petrus de sua musica, & hęc musica de Petro prædicatur; vnde nec potest dici de Petro musico; Petrus non est musicus.

Suarez. Mend. Vasq. Valent.

5 Velim itaq. dicat mihi Mēdoz. cur asserat, Petrū, & musicū, quæ inuicē prędicātur, distingui realiter, qui eandē ob causā, quia scilicet inuicē prædicātur, negauit animal, & rationale distingui formaliter. Arguo ergo contra Mendoz. argumento eiusdem, verbū pro verbo; ex quo is m & ipse à Seraphico visus est illud accepisse: hæc est vera pdicatio, Petrus est musicus, & musicus est albus, ergo nec Petrus à musica, nec musica ab albedine, nec musica, & albedo à Petro ex natura rei distinguūtur; ergo neq. realiter. Probatur sequela; quia distinctio ex natura rei, & formalis est etiā realis; ille ergo, qui vt remoueat distinctionē formalē, pbat, animal esse idē realiter cū rationali, quia vnū de altero prædicatur, non video, cur asserat, Petrū realiter à musica esse distinctū, quādo Petrus de sua musica, & musica de Petro pdicatur. Prætere a ille idē definit, distinctionem realē esse essentiā cuiuscunq. rei explicatam per negationē alterius cōceptus; v.g. distinctionē substātiæ ab accidēti, contra quē vrgeo ratiocinū hoc modo. Petrus est essentia nō explicata per negationē suæ musicæ, alioquin vera erit hæc propositio: Petrus nō est musicus, loquēdo de Petro musico; pbo sequelā; veritas.n.ē cōuenietia pdicati cū subiecto, si ergo musica in Petro est essētia, quæ nō est Petrus, nec idē cū Petro, ergo falsò de Petro dicitur, φ sit musicus; ergo Petrus, & sua musica nō distinguūtur realiter.

6 Certè maiorem quotidiè in opinione Thomica, & Iesuitica formalem distinctionem exterminante difficultatem inuenio, maiorem repugnantiam offendo. Præstat propterea millies rerum cognitioni, & explicationi, distinctionem formalam sartam tectā habere, quàm impugnare; non quidem ea ratione, vt falsò credidit Mendozza, quò scilicet purè magis desperata cum Thomistis signa conferamus; quippe solo veritatis zelo in has controuersias prolabimur, nec est, quòd tempus conteramus, vt Scotum ab hac opinione, quam (vt dicitur) cordi transuersam habuit, vindicemus, à quo Scotistæ hactenus vindicare non curauerunt. Nostra ergo opinio de distinctione formali salua consistit, cuius natura vnica definitione, eaque inuariabili, vt patuit, definitur; vt propterea à calumnia, quam Fonsecæ hanc cum Scotistis sententiam propugnanti, ac ipsis inurit Mendozza Scotistis, vbique semper immunem futuram non dubitemus.

## Opinionem Scoti de distinctione reali, rationis, & formali fuisse iam opinionem S. Bonauent. Cap. V.

Auctor, vt dixi, distinctionis formalis Scotus fuisse fertur, verùm mihi potiùs promotor, ac propugnator; quippe longè ante huiusce distinctionis meminit Seraphicus, eaq. ad res explicandas pro opportunitate vsus est. In hoc capite nobis id cordi erit, vt omnia, vel præcipua loca, in quibus realis, formalis, ac rationis distinctionis Seraphicus verba fecit, in medium afferamus. Principiò occurrit celebris locus ex dist. 26. l. 1. sent. quest. 1. vbi Sanctus Doctor de distinctione Diuinarum proprietatum more scholastico sermonem habens, primò ex D. Damasceno geminam illam tam celebrem, quàm communem distinctionem, rei scilicet, & rationis constituit: verba Diui Damasceni sunt ista. *Oportet scire, quòd aliud est differre re, aliud ratione*. In corpore autem quæstionis vtrumq. membrum breuiter, ac dilucidè Seraphicus declarat, dicens, *distinctionem rationis esse distinctionem solius vocis, & quoad nos, distinctionē verò rei esse distinctionem non solius vocis, sed rei significatæ per vocem, & à parte rerum ipsarū*. In responsione verò ad secundū, quæ erat illa D. Damasceni auctoritas, in hæc verba scribit. *Ad illud, quod obijcitur de Damasceno &c. dicendum quòd differre ratione est tripliciter: vno modo à parte nostra apprehensionis, sicut differunt in Deo bonitas, & magnitudo: alio modo differre*

S. Bon.

S. Dam.

*differre ratione est secundùm differentiam attributionis; quia aliquis modus ponitur circa vnum, vel attribuitur vni, qui non attribuitur alteri, & sic differunt ratione essentia, persona, & notio: tertio modo differre ratione est differre secundùm pluralitatem distinctionis, quæ non inducit diuersitatem in essentia, vel in natura, tamen tantam inducit differentiam, quòd vnum non dicitur de altero, & sic differt ratione persona à persona, & proprietas à proprietate: & prima quidem differentia secundùm rationem est minima; quia nihil ei respondet à parte rei, sed vltima respondet. Non vult igitur Damascenus diuidere rem contra rationem, nisi secundum quod res accipitur pro natura; nec etiam sic omnino diuidit, sed quasi à principali denominat: nam in creaturis non solùm est communitas rationis, immò etiã naturalis: Petrus enim, & Paulus non tantùm in ratione conueniunt, sed etiam in natura communi.* Hęc ille. Et his ferè similia, quã quam non ita clarè prælibauerat supra dist. 13. quęst. 3. & infra ex parte d 45 art. 2. quæst. 1. ex quibus omnibus.

2 Colligo primò, omnem distinctionem iuxta Seraphicum aut esse à parte nostri, quę dicitur distinctio rationis, aut à parte rerum, quę dicitur realis. Colligo secundò ea, quæ vno modo dicuntur differre ratione ab alijs, congruè ab alijs dici differre realiter: & contrà; nam Seraphicus vocat distinctionem r ialem, quam Diuus Damascenus appellat rationis; & vterq. verum dicit: quamobrem etiam Thomistæ, & Scotistę sic possunt saluari; tam enim isti, quàm illi solas duas distinctiones faciunt realem, & rationis ad quas omnes alias reuocant; verùm Scotistę potiùs ad membrum distinctionis realis, quàm rationis formalem redigunt, quibus haud dubiè præuius fuit Seraphicus.

3 Colligo postremò, prima illa duo distinctionis genera posse subdistingui, atq. ita de facto triceps distinctionis rationis ibidem à Seraphico species constituitur. Prima, cui nil prorsus respondet ex parte rerum, ideo tota est a parte intellectus apprehendentis; & hæc a Thomistis rationis ratiocinantis vocatur. Secunda, cui aliquid a parte rerum quoad attributionem correspondet, quo fit, vt vni rei diuersa per rationem attribuantur; & hęc dicitur rationis ratiocinatę. Tertia, cui aliquid respondet a parte rerum ratione suppositorum, quę est propria Diuinarum Personarum. & huc usq. concordamus Thomistis; quanquam S. Bon. omnem distinctionem, cui aliquid a parte rerum respondet quomodo-

libet; potius distinctionem à parte rei, quàm rationis censendam esse vult: sed in his certè est sola in vocibus controuersia

4 Præter has distinctiones Seraphicus alias commemorat, & in his distinctionē formalem, sic fatus, q.1.dist.6.l.3. *Planū est, quòd illa, quorū vnum de altero prædicatur, in sicē nō numerantur, quanquā formaliter distinguantur; vt si dicatur, Petrus est musicus, & hic musicus est Petrus; musicus & Petrus non sunt duo, quamuis inter Petrū, & musicā suā sit distinctio*, subintellige, formalis. Dixit autem signanter, *musicam suam*, quòd Petrus à musica Pauli plùs quàm formaliter distinguatur; cum de ea non prædicetur; & ideo illa distinguuntur realiter, vt res à re. Ex quibus collige, apud Seraphicum distinctionem realem distingui in realem, & formalem; & realem esse eorum solùm quæ inuicem sunt discreta, & nō prędicātur: formalē verò eorū, quę inuicē pdicātur, quāquā vnū ab alio à parte rei distinguatur.

5 Deniq. in 1.d.4.dub.2.lit. alterius meminit distinctionis, qua vnū nec est omnino idē cū alio, nec omnino diuersū, vt pars cū suo toto: verba illius sūt: *Ad illud, quod obijcitur, quòd idē, & diuersum sufficienter diuidunt ens, dicendū, quòd simpliciter loquendo, est falsū; nam pars nec est eadem omnino toti, neq. simpliciter diuersa: hanc distinctionē dixerim eā, qua vnū includitur in alio, & est à parte alterius inadæquata*. Hęc sunt præcipua Seraphici de distinctionibus documēta: alia possunt accipi ex ijs locis in quibus de varijs vnitatis generibus effatur.

S.Bon.

D.Bon.

## Distribuuntur per proprias sedes singulæ distinctionum differentiæ. Cap. VI.

APparuit euidenter, quid de gemino distinctionis, realis scilicet, & rationis, seu ex parte rei, & ex parte nostri, mēbro sentiendū sit; est .n biceps hoc mēbrū veluti primaria arboris cuiusdā bifurcata radix, quæ vtraq. in alias quasdā restrictiores radiculas, ex illa prima radice prodeuntes, partitur. Iā verò vt ad aliquē definitum numerū omnis distinctionū differētia redigatur; operæ pretiū duximus, ad modū cuiusdā arboris, omnes hic, exoterico simul ac laconico stylo subnectere, singulasq. breuiter, ac dilucidè definire.

2 Principiò, generali diuisione distinctio in eā, quæ ex parte rei, & eā, quę ex parte nostri (vt terminis vtar Seraphicis) seu in realē, & rationis distribuitur. Distinctio a parte rei, seu realis est, quę reperitur in ipsis rebus sua ptè natura: distinctio verò a parte nostri seu rationis est, quæ solū attēditur à parte intellectus; & primæ respōdet aliquid a parte rerū, cū sit in ipsis rebus; posteriori

steriori verò nõ, cũ sit in intellectu: quoniã verò nõ omnia vno eodẽq. modo se habent, siue quæ a parte nostri, siue quę à parte rerum distinguuntur: propterea vnaquçq. harũ in alia membra subdistinguitur; & vt à distinctione rationis, seu à parte nostri immediatè incipiamus.

3 Distinctio à parte nostri, seu rationis est adhuc biceps: Altera, cui nil prorsus a parte rerum respondet; quia tota est in intellectu, qui rem indiuisibilem in se ipsa apud se diuidit; ideo diuisio nõ est in re, sed in intellectu; sicut in alio simili proposito de cognitione rei simplicis per actus cõpositos, & multiplices valde eruditè idẽ Seraphicus explicuit. v.g. Deus est vnus, immò vnissimus in se, ac simplicissimus; tamen per actus compositos, & multiplices ab intellectu percipitur; illa compositio est in intellectu, non in re ipsa; similiter & distinctio.

S. Bon.

4 Altera est, cui respondet aliquid a parte rerum, ita tamen vt non respondeat quasi distinctum; ideo isthæc quoque diuisio est tota in intellectu, differt verò a pcedẽti in eo solũ; ꝙ illi nil aut distinctũ, aut indistinctũ respondet, nisi fortassè in voce, sicut differunt magnitudo, & bonitas in spiritualibus, etenim magnitudo in spiritualibus, teste Diuo Augustino communiter recepto, nil aliud est, quàm bonitas: ideo distinctio, qua Angelus distinguitur in magnum, & bonum, est distinctio, cui nil prorsus respondet a parte Angeli; immò vtrique conceptui magnitudinis, & bonitatis idem omninò respondet. Huic verò respondet aliquid non tamen distinctum, vt bonitas, & sapientia in Deo; nam apprehensioni bonitatis correspondet aliquid, nempe conceptus obiectiuus bonitatis; & conceptui sapientiæ correspondet conceptus obiectiuus sapientiæ: verè enim in Deo est obiectiua ratio sapientiæ & bonitatis, quæ correspondeat diuersis cõceptibus formalibus; ac si in se, & a parte sui formaliter distinguerentur: hinc est, quòd prior distinctio rationis ratiocinantis, posterior ratiocinatæ appellata sit. Et hęc doctrina est summopère attẽdenda ad naturam vtriusque distinctionis a parte nostri percipiendam; si verò ab hac discedas, nulla alia inuenitur distinctio a parte nostri, quin simul sit etiam a parte rei; ideoque absolutè dicitur a parte rei. Quare

D. Aug.

5 Distinctio a parte rei, & realis distribuitur in eam, cui res discretæ correspondent, quæ inuicem non copulantur; & dicitur distinctio realis realis, seu distinctio realis prima; & in eam, cui res aliquo modo inuicem copulatæ, & quæ inuicem prędicantur, correspondent; & hæc potest constitui triplex. Prima: quando correspondent res,

quarum

quarum vna non includit alteram, & vna non est de alterius definitione, & vocatur distinctio formalis; sicuti est distinctio subiecti, & accidentis; materiæ & formæ; intellectus, & volũtatis; musicæ, & albedinis in eodem subiecto. Secunda: quando correspondent res, quarum vna includitur in alia, & vna est de definitione alterius, & dicitur distinctio realis inadæquata, seu includentis & inclusi; quo pacto differunt gradus superiores, & inferiores; pars, & totum.

Tertia: quando correspondent res, & modus, & appellatur distinctio realis modalis; & hoc modo differunt realitas, & modus.

6 Præter has datur alia quędam distinctio positiui, & negatiui, quæ potest esse vel rei, & rei; & sic ens, quod est, distat ab ente, quod non est; vel modi, & modi; & sic differt mundus intelligibilis, & sensibilis a seipso; quatenus vno modo est intelligibiliter, alio sensibiliter; sic etiam essentia, & existentia; existentia enim est actu, essentia nõ; hæc enim potius est distinctio realis, quàm rationis, negatiua tamen.

Ad has omnes alias reuocari facilimè posse video. Hæc breuiter placuit de distinctionibus recensere.

## De Regulis Diuisionis. Cap. VII.

Sex diuisionis regulę assignari solent à Doctoribus. Quarum Prima sit; Id, quod diuisioni obnoxium est, debere esse aliquod totum saltem respectiuè ad ea, in quæ diuidendum est. Ex quo conijcitur, non esse de necessitate diuisibilis, vt sit totum simpliciter, & completè; sed sufficere, vt dicat aliquam totalitatem imperfectam, & respectiuam. v. g. corpus humanum, licèt in ordine ad hominem sit pars, atque adeò indiuisibile, in respectu tamen ad manus, pedes, &c. est totum atque ideò diuisibile. Eodem modo ratiocinandum est de genere subalterno respectu suorum inferiorum, & cæterorum huiusmodi.

2 Secunda regula est: totum illud debere esse aut multiplex; aut quoquo modo compositũ; cùm (vti diximus superiùs) radix diuisibilitatis sit vel multiplicitas, vel compositio. Verum quidem tamen est, vt peracutè notauit S. Bonau. ad diuisionem rationis sufficere, ipsum intellectum esse capacem compositionis, aut multiplicitatis. Quare, cùm Deus sit omnis expers compositionis, ac multiplicitatis, non modò si consideretur in se, verùm etiam in ordine ad suum intellectum, nulli diuisioni

etiam

etiam rationis potest subiacere; penè tamen potest respectu intellectus creati, tam Angelici, quàm humani: & hæ considerantur à parte ipsius diuisibilis.

Tertia: quòd vnum membrũ diuisionis sit inferius diuiso: & hoc per se patet; omnis enim pars est minor suo toto.

Quarta est: vt omnes partes simul sumptæ ita perfectè adęquent diuisum; vt nihil dicat totum, quod non dicant partes; nec partes aliquid, quod non dicat totum.

Quinta est: vt vnum membrũ non includat aliud. Vnde malè diuidunt, qui diuidunt corpus in caput, & oculos; oculi enim necessariò includuntur in capite. Benè tamen possunt fieri subdiuisiones ita: Corpus diuiditur in caput, caput autem in oculos, aures, &c. Sed tunc caput non habet rationem partis, sed totius: & hæ considerantur in ordine ad partes diuidentes.

Vltima est: vt in diuisione seruetur ordo, quoad fieri potest v.g. Nominis aliud est esse substantiam, aliud est esse corpus, aliud viuens, &c. vbi enim est confusio, patet aditus, & via ad errorem potiùs, & falsitatem, quàm ad veritatem: & hęc attenditur à parte ipsius diuisionis.

## De Definitione Cap. VIII

POst traditam doctrinam de *Diuisione*, quantùm *Dialectico* sufficere arbitramur: superest, vt Definitionis naturam inquiramus. *Definitio*, ergo, ***est oratio explicans naturam, & quidditatem rei.***

2 Dicitur *oratio*, quia (vt docet S. Bonauent. 1. sent. dist. 25. art. 1 quæst. 2.) omnis definitio importat aliquam compositionem, aut realem, aut saltem rationis in definito. Hinc est, quòd simplicia omnino, qualis est actualissimus Deus, non possunt propria, & vera definitione definiri. Quòd si aliquando definiantur; aut definiuntur ad capacitatem intellectus nostri, sicut pariter distinguuntur; aut per negationem definiuntur. *S. Bon.*

3 Dicitur ***explicans naturam rei***; quia de essentia definitionis est, intellectui explicare, & quasi notificare ea, quæ sunt rei essentialia. Quocirca meritò reprehenduntur hi, qui definitiones ipsis definitis obscuriores tradunt.

## De conditionibus requisitis ad bonam definitionem Cap. IX.

**EX his, quæ capite præcedenti diximus, possumus facilè dedu-**

deducere, quot, & quænam ad perfectam definitionem conditiones requirantur.

Primò enim requiritur, vt in definitione plures voces adhibeantur, quàm in definito. Ratio est, quòd ad explicandam naturam definiti maximè prodest distinguere, & distincta pronuntiare ea, quę definito conueniunt. Hinc est, quòd diuisio multùm conducit ad definitiones inueniendas; quia per diuisionem (vt superiùs diximus) secernuntur tum communia à particularibus, tum extranea ab essentialibus.

2 Requiritur secundò, vt sit clara, & facillimè aperiat intellectui naturam rei definitę. Quocirca malè definiret hominem, qui diceret, hominem esse arborem inuersam; hac enim definitione minùs cognoscitur, & declaratur, quid sit homo, quàm per ipsum definitum.

3 Requiritur Tertiò, vt cõuertatur cum definito, idest, definitum non debet habere aliquid essentiale, quod non includat definitio; nec definitio aliquid continere, quod non contineatur in definito. Hinc D. Bonauent. 3. sent. dist. 23. art. 1. q. 5. illam vocat bonam definitionẽ, quę nihil continet superfluum, nihilue diminutum; ita vt totam essentiam explicet, nihil verò supra rei essentiam addat. Et hoc rationabiliter; quippè, cùm definitio sit tradita ad explicandã essentiam definiti; si aut totam essentiam non includit, aut aliquid superaddit, facillimè in intellectu generabit errores, persuadendo ei aut non esse de essentia, quod est, aut esse, quod non est. S. Bon.

4 Aduerte tamen, definitionem ita explicare, & includere totam essentiã definiti, vt nilominus non expresse, sed tacitè, & implicitè. Quinimmo reprehensibilis est illa definitio, quæ omnia prædicata essentialia explicitè commemorat: tum quia id superfluum est; tum quia tanta verborum multiplicitas & confusionem generat, & vix memoria retineri potest.

5 Vnde quartò requiritur, vt breuis sit, & tradatur per proximum genus, & vltimam differentiam. Nam in proximo genere, & vltima differentia continetur, & declaratur absolutè tota natura definiti. Malè ergo definit hominem, qui definit per substantiam intellectualem; nec enim substantia est proximum genus hominis, nec intellectuale vltima differentia; sed debet definiri per animal rationale, quia homo immediatè respicit animal, & animal contrahitur ad esse hominis immediatè per differentiam rationalem: videatur Arist. 7, Metaph. cap. 14. Arist.

de du-

## De duplici Definitione, absoluta scilicet, & per additamentum. Cap. X

Arist. S.Bon. DVplicem habemus ex Aristotele, & Seraphico in 1. dist.25.art.1.quęst.2. *Definitionem*. Aliam absolutam, quæ propriè substantiarum, & entium completorum est, de qua hactenus egimus. Aliam per additamentum, & est omnium eorum entium, quæ in esse completo ab alijs dependent, & dicitur per additamentum; quia in illa assumitur aliquid, quod in se habet aliam naturam; & propriissimè conuenit accidentibus, & entibus priuatiuis, quæ semper in ordine ad substantiam, & subiectum definiuntur. v.g. Simitas definitur, esse Nasi curuitas; in qua definitione ponitur Nasus, qui est alterius essentiæ omnino à curuitate, & simitate. Ita etiã definitur Anima, esse actus corporis physici; & forma actus materiæ; cùm tamen & corpus sit aliud essentialiter ab Anima; & materia à forma: de vtraq. agit Seraphicus ea quæst. 2. dist.25. nuper citata. S.Bon.

2 Huc quoque spectat *Descriptio*, quæ in hoc differt à perfecta *Definitione*, quòd hæc traditur per essentialia, & explicat totam naturam rei definitę. Illa verò traditur per extranea, & explicat aliqua accidentalia, seu proprietates consequentes ad naturam definiti: Vt cum dicitur v.g. *Homo est animal bipes, rectum, risibile*, quę sunt prædicata hominis accidentalia.

TRACTA-

# TRACTATVS TERTIVS.

## DE MATERIA DISCVRSVS, nempe DE NOMINE, VERBO, ET SIGNIS.

### IN HOC TRACTATV VIDEBIMVS.



## De Nomine. Cap. I.

QVoniam (vt iam superiùs demonstratū est) Discursus est obiectum Dialecticæ, & id, cuius gratia inducitur totus Tractatus Dialecticæ; adeò vt omnia, quæ tractantur in Logica, in hunc finem dirigantur. Idcirco præcipuo est labore insudandum, vt ad rectum, & perfectum Discursum perficiendū, facilem, & vtilem methodum tradamus. Et licèt proprius locus agendi de discursu sit in libris Priorum, & Posteriorum, vbi tum Aristoteles per duos Libros Perhyhermenias primò, in quibus de Nomine, Verbo, Oratione, & Enunciatione, quæ sunt veluti materia Discursus; deinde de ipso Discursu in communi, & eius speciebus; ac deniq. de ipsa Demonstratione, quæ est potissima Discursus species. Tum reliqui etiam Peripatetici. Nos tamen post declaratam *Diuisionis*, ac Definitionis naturam, immediatè ad agendum de Discursu accedere rationabile existimauimus; ne, si

forte

fortè ad vltimum protrahamus cognitionem discursus, incognita sit nobis via, & modus arguendi, qui in toto huiusce sciētiæ discursiuæ Tractatu necessariò desideratur. More ergo omnium Dialecticorum, breuiter tractabimus ea, quæ discursum præcedunt. Sunt autem hęc: Nomen, Verbum, Propositio, & Oratio. Sicut enim ex literis, recto ordine dispositis, conficiuntur verba; ita ex nominibus, & verbis conficitur oratio: & ex oratione, & propositione rectè dispositis oritur discursus; vnde ad hæc tria, nempe nomen, orationem, & discursum tanquam ad tria principia, radicale, vniuersale, & integrale omnia, quæ tractantur in Dialectica, reuocantur.

2 *Nomen igitur* (vt est apud Arist. 1. Perhyerm.) *est vox significatiua secundùm placitum sine tempore, cuius nulla pars significatiua est separata.* In cuius definitionis gratia obseruandū est, Aristotelem loqui de nomine, ore prolato, & exteriori; quòd innuit, dum dicit, *Nomen est vox*: quæ vox est nota eorum nominum, quæ sunt in mente. Certum enim est (vt docet D. Bonau. 1. sent. dist. 27. quæst. vltima) dari nomen, & verbum interius tantò exteriori pfectius, quantò est perfectius signatum signo. Nam (vt diximus) nomen exterius non est aliud, quàm signum indicans id, quod interiùs est; & conceptus interior non alia de causa vnitur voci, quàm vt se alijs manifestet, ipso integro in intellectu permanente.

Arist.

D. Bon.

3 Dicitur ergo nomen, *Vox*, accipiendo nomen, prout assumitur exteriùs ad differendum cum alijs, quibus nostri animi conceptus incogniti sunt: & ponitur *Vox* loco generis, vt benè ait Seraphicus in 1. dist. 41. quęst. vlt. corpore. Dicitur, *significatiua secundùm placitum*. *Significatiua*, ad excludendas voces nihil significantes, de quibus nō est sermo in Logica, quæ cùm sua nomina ordinet ad differendum, necessariò debent aliquid significare, vt ex Seraphico ibidem colligitur *Secundū placitū*, ad excludendas voces naturales; vt planctus, &c. quę significant aliquid, non tamen sunt aptæ ad propositiones conficiendas, & consequenter nequè ad discursum.

D. Bon.

4 Dicitur etiam, *secundùm placitum*; quia secundùm diuersitatem nationum, & linguarum diuersa reperiuntur genera nominum, secundùm quod vsus, & placitū illarum gentium exigit; vt apud Græcos, Theos, apud Latinos, *Deus*, significat naturā Diuinam. Hic tamen aduerte; quando dicimus, nomen esse vocem significatiuam secundùm placitum, accipi nomen materialiter

rialiter, non formaliter; quia quoad formalitatem, rem scilicet significatam per nomen, nomen significat idem apud omnes, vt duo nomina diuersa superiùs posita clarè testantur. Aduerte etiam, diuersitatem vocũ non esse per se in natura inductam, sed occasionaliter. Sicut enim dicitur Geneseos 11. Ab initio omnis terra erat vnius labij; sed occasione sumpta ex superbia hominum per Turris fabricam ad Cęlos subleuari volentium, *Deus* ita eorum superbiam confudit, vt in varias linguas, & voces non sine magna admiratione distincti fuerint.

5 *Sine tempore*; eo quia nomen ex se non denotat aliquam differentiam temporis: v.g. cum dico, *Homo*, homo non respicit aliquod tempus, sed abstrahit ab esse, fuisse, & futurum esse; contrahitur verò per aliquam differentiam temporis, aut præsentis, aut præteriti, aut futuri; sicut animal secundùm se abstrahit à rationali, & irrationali; cõtrahitur verò per alteram harum differentiarum. Nec immoramur hic in puerilibus disputationibus, quibus solet obijci huic particulæ, scilicet horam, prandium, & alia similia significare tempus; quia, cum dico prandium, aut aliud nomen simile, abstraho (vt patet) ab esse, fuisse, aut futurum esse, nisi simul addatur verbum. Vnde solent Moderni distinguere, quòd aliud sit significare tempus, aliud significare cum tempore: vt significare tempus nihil aliud sit, quã innuere aliquod tempus, in quo consuetum est fieri aut prandiũ, aut aliud simile. At significare cum tempore, significat id, quo contrahitur illud prandium per aliquam differentiam temporis, aut præsentis, aut futuri, &c. verùm hæc distinctio non placet; quoniam nomen propriè nec significat tempus, nec cum tempore, sed verbum.

6 *Cuius nulla pars significatiua est separata*; ad distinguendum nomen ab oratione, & propositione, cuius partes etiã separatæ aliquid significant. Quòd si dicas, *Respublica*, & alia huiusmodi nomina habere partes, quę per se separatæ significant. Respondetur, significare quidem, sed non vt sunt partes illius nominis, quod significat formaliter vnam simplicem rem indiuisibilem. Vnde *res*, & *publica*, vt sunt quid separatum, significant omnino aliud, quàm vt erant quid vnitum.

7 Hic tamen aduertendum est, à recta nominis definitione excludi ea omnia, quæ ex se nihil determinatum significant; vt sũt ea, quibus præponitur negatio, v.g. *non homo*; & etiam nomina indefinita, vt *quidam*, *aliquis*, & alia huiusmodi; quæ, cùm nihil significent determinatum, à nominis

minis definitione excludenda sunt. Excluduntur etiam casus nominis; quoniam nomen, de quo Dialecticus agit; talis est naturæ, vt additum verbo, faciant orationem veram, vel falsam, quod non faciunt casus nominum; vt *Francisci*,&c. in qua oratione nihil affirmatur, aut negatur, nisi addatur aliquod aliud nomen, vt si dicatur, *Vestis est Francisci.*

## De Verbo. Cap.II.

VErbum *est vox significatiuà secundùm placitum, cũ tempore, cuius pars extra nihil significat, & est semper eorum, quæ de altero dicuntur, nota.* Quæ definitio satis est explicata ex iis, quæ capite præcedenti diximus de nomine, cũ quo quoad duas primas particulas conuenit; & licèt in tertia differat; nihilominus tamen est iam declarata; quia, vt habet commune dictũ, *Oppositorum eadem est disciplina.*

2 Superest ergo, vt vltimam tantùm explicemus, in qua assignatur quædam proprietas Verbi, cuius est facere orationem veram, aut falsam per affirmationem, aut negationem; vt cum dicitur, *Homo est albus*. Ex qua particula reijciuntur Verba indeterminata; vt *Non viuit*: & omnia illa, quæ non faciunt cum nomine orationem veram, aut falsam; & hęc ferè sunt omnia, quæ non sunt Modi Indicatiui; vt *Petrus surgeret, Francisce veni*,& alia huiusmodi. Participia autem licèt significent tempus Grammaticaliter, vt *Amans*, quod apud Grammaticos idem est, ac *Qui amat*; atque adeò ad naturam verborum deflectant; quia tamen non significant, prout termini incomplexi sunt; sic enim *Amans* idem est, ac vulgari idiomate, *Amante*; quod non significat tempus, sicut nec nomina; ideo ad nomina reuocanda sunt. Et hæc breuiter de nomine, & verbo, quæ sunt principia, & termini, & elementa orationis.

## De Signis. Cap.III.

POst primam nominis definitionem, ac verbi explicationem, vbi dictum est, Nomen, & Verbum esse voces significatiuas; ne aliquid remaneat inexplicatum, videamus breuiter, quid sit *significare*, hac enim occasione Dialectici introducunt Tractatum de Signis. Significare igitur ex communi Patrum sententia est aliquid innuere, & indicare. Vnde D.August. Tract. 15. in Ioan. considerans, & attẽdens Christi fatigationem, & eius supra fontẽ sessionem, ait; *Non frustra fatigatur virtus Dei, sed omnia ista innuunt aliquid, indicare volunt aliquid, intentos* D.Aug.

 tentos

*tentos nos faciunt, vt id, quod significant, inquiramus*. Et D. Gregorius hom. 17. in Euang. inquit: Opera, & miracula Christi esse nobis Christianis præcepta; quia per facta ipsius innotescit nobis, significatur, & indicatur nobis, quid agere debeamus. & Hom. 2. *Miracula*, inqt, *Domini Saluatoris ita accipienda sunt, vt in veritate credantur facta, & tamen per significationem nobis aliud innuant*, &c.

S. Greg.

2 Ex qua doctrina duo nobis innotescunt. Primò, signum esse id, quod aliquid indicat, & innuit; vt circulus in taberna innuit viatoribus, ibi esse domũ hospitij. Secundò, non tantùm voces, sed etiam opera esse signa; quia aliquid innuunt, & indicant. Verùm de his signis secundis non est sermo in Dialectica, cùm ad ratiocinationem, & discursum, vt talia sunt, non pertineant; sed de signis primo modo de vocibus: scilicet, quæ alicuius rei nobis notitiam innuunt, & indicant.

3 Hic tamen attentiùs considera, voces dupliciter significare; Primò conceptum internum eas proferentis; quo sensu dicebat Philosophus, voces esse notas eorum, quę sunt in mente. Secundò naturam rei, cui impositę sunt; vt homo naturam humanam. Primo modo est significare alicui. Secundo verò significare aliquid: & hoc modo propriè dicitur nomen significare, & indicare; hac enim de causa nomina sunt rebus imposita ad earum naturam significandam, & indicandam. Id quod docet S. Bonau. 4 sent. dist. 1. q. 2 ad 2. dicens omne signum habere duplicem respectum. Alterum ad rem, quam significat; & hoc est essentiale signi. Alterum ad id, cui repręsentat; & hoc non est essentiale. Verum tamen est, Signũ semper alicui significare id, quod significat, vt dictũ est.

S. Bon.

4 Cùm verò significare, & indicare aliquid possit esse dupliciter, scilicet ex vsu, & institutione: duplex primò constituitur signum. Aliud ex institutione; & est illud, quod impositum est rebus ad significandam earũ naturam ab hominibus doctrina, & rerum cognitione præditis. Aliud ex vsu; & est illud, quod repræsentat aliquid ex vsu, & consuetudine ab hominibus introducta; qualia sunt Circulus in via, & alia huiusmodi, quę magis ipsa significant ex vsu, quàm ex institutione. Quocirca maximè errant, qui putant, Signum ex institutione, & ex vsu idem esse; quod omnino falsum est. Nam primum maximã cum re significata habet conuenientiam. Ideo (vt egregiè docet *S. Doctor*) non potest tale signum institui, nisi ab hominibus rerum significatarum proprietates, & naturam cognoscẽtibus.

S. Bon.

tibus. At signum ex vsu nullam habet cum re significata conuenientiam. Circulus enim in via (vt patet) nullam ex se habet rationem indicandi, ibi esse domũ hospitij. Idcirco hæc signa etiã à plebeis inducuntur; & aliquando post longam temporum successionem idem signum ex diuerso gentium vsu apud ipsos diuersa, & contraria significat.

5 Signum iterum dupliciter diuiditur, in instrumentale scilicet, & formale. Formale est id, quod immediatè repræsentat alicui potentiæ illud, cuius est signum. Et hæc propria appellatione dicuntur species, & imagines rerum, quæ repræsentant obiecta potentijs, vt circa illa actus suos elicere valeant. Instrumentale autem est id, quod in alterius rei cognitionem ducit: vt Circulus, qui in cognitionem ducit domus hospitariæ. Vnde falsum videtur id, quod docet Fonseca lib. 1. Dialecticar. Institut. cap. 8. nempe signa formalia in hoc differre ab instrumentalibus; quòd illa non sunt necessaria, vt in cognitionẽ rei, quam significant, deueniamus: hęc autem maximè. Videtur, inquam, falsum, quia (vt docet vniuersa Philosophia, præcipuè S. Doctor multis in locis) non est possibile, hominem venire in cognitionem parietis, nisi paries sui speciem, & similitudinẽ potentię visiuę imprimat. Sgnũ instrumentale (vt est apud D. Bon. 1. sent. d. 1. dub. 3. sup. lit.) aliud naturale est, quia idem significat apud omnes ex natura sua; vt gemitus dolorem, risus verò letitiam. Aliud ex instituto; & aliud ex vsu, vt ex supradictis iam patet.

*Fonseca* *S. Bon.*

6 Hic tandẽ aduerte, quãuis quælibet res sit signũ naturale (quia omnis res ducit in cognitionem saltem sui Creatoris) non esse tamen signum ex instituto; sed voces tantùm, quæ ex instituto sunt impositæ rebus ad aliquid significandum.

His explicatis quoad multiplicem distinctionem signorum, & eorum definitionem, seligenda sunt ea, quæ ad Dialecticam spectãt. Sunt autem illa primò, quibus ex instituto vtimur ad aliquid significandum; qualia sunt Nomen, & Verbũ, quæ sũt voces significantes ex instituto, & ad placitum: deinde etiam voces, quibus ad aliquid significandum vtimur ex vsu, & accómodatione.

7 Illud quoque sciendum, quod docet S. Doctor loco supracitato, nẽpe signa aliqua ita indicare potentiæ intellectiuæ, seu sensitiuæ id, quod significant, vt aliquando etiam moueant appetitum, v. g. Patibulum ita indicat, & significat supplicium malorum, vt etiam coerceat, & retrahat hominem ab illis, quæ ad tale supplicium conducunt. *D. Bon.*

C 2 8 Vltimò

8 Vltimò sciendum, sicut Signum est ad significandum aliquid, ita esse vt plurimùm etiam ad distinguendum. Hoc enim signum, v.g. *Homo*, ita significat hominem, vt etiam extrinsecè distinguat, & distinctum indicet ab ijs, qui homines non sunt. Dixi *Extrinsecè, & vt plurimù*; quia distinctio intrinseca aliunde sumenda est; scilicet à differentia essentiali, & quia idem nomen aliquando plura significat, vt sunt nomina æquiuoca, de quibus iam iam.

## De nominibus æquiuocis, vniuocis, & analogis. Cap. IV.

Declarata Verbi, Nominisq. natura, consequens est, vt de varijs nominum generibus disseremus. Omnia igitur nomina, quæ rebus imponuntur propter aliquid significandum, ad alterum ex his tribus generibus in vniuersum reducuntur, scilicet, Vniuocum, Aequiuocũ, & Analogũ: quia omne nomen significat aut vnam naturam pluribus communem; & dicitur Vniuocum. Aut significat diuersas naturas in nullo communicantes; & dicitur Aequiuocum. Aut tandem significat diuersas naturas in aliqua proprietate conuenientes; & dicitur Analogũ; vt propterea Analoga quasi medium inter duo extrema constituantur.

2 In vno extremo sunt Vniuoca, quæ ex Arist. cap. 1. de Antepræedicam. dicuntur, *quorum & nomen commune est, & secundùm nomen eadem substantiæ ratio*. Quæ definitio ità breuiter potest explicari. Vniuocum nomen illud dicimus, quod à pluribus eiusdẽ naturę sm̃ nomen, & essentiã æque participatur; vt *Animal*, significat enim naturã pluribus communem ęquè ab ipsis participatã. Ea autẽ, quæ talem naturã ęquè participant, & in illo nomine conueniunt, appellantur Vniuoca, v.g. *Homo, Bos, Asinus, &c.* vt conueniunt in hoc nomine, *Animal*, & vt æquè participant naturam animalis significatam per illud nomen, *Animal*, dicuntur Vniuocata, Animal verò dicitur Vniuocum, quia ęquè respicit omnes species animalium. Arist.

3 Ex his colligimus, quatuor requiri ad Nomen Vniuocum constituendum. Duo ex parte ipsius nominis Vniuoci: reliqua duo ex parte Vniuocatorum. Primum ex parte Vniuoci est identitas nominis: Secundum identitas naturę: Tertium, quod ex his sequitur in Vniuocatis, identitas perfectionis; vna enim, & eadem natura non potest esse simul magis, & minùs perfecta. Quartum similiter in Vniuocatis ęqualitas independen-

dependentiæ vnius ab altero. Exempli causa: *Animal* dicitur nomen vniuocum, & vniuocè participatũ ab Homine, Boue, Asino, & reliquis animantibus, quia Homo, Bos, & Asinus conueniunt in hoc nomine *Animal*, & etiam in natura Animalis. Si enim inquiratur natura Hominis, Bouis, &c. vt animalia sunt, eadem omnibus assignabitur. Et quia Homo non est perfectius animal, quàm Bos, Asinus, &c. (cùm tota natura animalis æquè sit in omnibus animalibus) & quia non dependet in esse à Boue, & Asino; neq; enim ablato homine tollitur Bos, aut Asinus; neque è contra: benè tamen ablato primo vniuocante, v.g. *Animal*, tollitur Homo, Bos, Asinus, & reliqua animantia. Hinc sequitur, naturam illã, in qua cõueniunt, esse contrahibilem per aliquam differentiam, aut saltem communicabilem. Et hoc addo; quia natura specifica non est contrahibilis per differentias vlteriores; aut aliquid aliud essentiale ad indiuidua: benè tamen est communicabilis.

4 In alio extremo sunt nomina Aequiuoca, quæ ex Arist. ibidem ea dicuntur, *quorum nomen solùm commune est; secundùm nomen verò ratio substantiæ diuersa*, Idest æquiuoca illa appellamus, quæ, licèt habeant idem nomen, quo appellantur, habent tamen diuersam omnino naturam, quam participant; v.g. *Canis*, est nomen æquiuocũ ad Cancrum animal, & sidus: est n. omnino diuersa natura Canis, quod est sidus, & Canis, quod animal; quamuis vtriusque sit idem nomen. Hinc est, quòd æquiuocata in nullo conueniũt, vt talia sunt, prǽterquam in nomine.

Arist.

5 Inter hæc extrema media sunt Analoga, quæ ea sunt, quæ in nomine conueniunt, in natura verò differunt quodammodo, & quodammodo conueniunt. Idest, Analogorum ea est natura, vt Primò conueniant in nomine, sicut etiam vniuoca, & æquiuoca. Secũdò, vt quodammodo differant in natura; in quo accedunt ad æquiuoca, quæ sunt alterum extremũ. Tertiò vt quodammodo conueniant; in quo accedunt ad vniuoaca, quæ sunt alterum extremum. Vt plurimũ tamen analoga differunt omnino in natura; conueniunt verò in aliqua proprietate. Leo enim v.g. prout prædicatur analogicè de Leone animali, & Christo lesu, differt omninò in natura, vt patet; sed conuenit in proprietate significata per nomen analogum, nempè in fortitudine, quæ primò reperitur in Leone tanquam in proprio subiecto, per quam Leo dicitur fortissimus bestiarum: reperitur nilominus etiam in Christo, per quã ad similitudinem Leonis, cùm

sua fortitudine vicerit Diabolum, dicitur meritò fortissimus hominum;& per quandam proprietatem, & similitudinem ad Leonem iure appellatur à Spi- S. Aug. ritu Sancto Leo. Vnde August. Tractat.80 in Ioan ait, Christum dici Leonem per similitudinem, non per proprietatem.

6 Licèt autem nonnulli cõtendant prorsus destruere hæc media nomina, scilicet analoga, ea maximè ratione adacti (vt ait quidam Doctor) quia quicquid est in rerum natura, aut habet cum alijs eandem essentiam, aut diuersam, & consequẽter aut est vniuocum, aut æquiuocum. Tamen quicquid sit de hac re, quæ alibi meliùs declarabitur; pro nunc cum D. Bonau. & cũ alijs plurimis analoga admittamus, quæ duplicis generis communiter solent constitui. Alia, quę appellantur attributionis; quando nimirum omnia analogata vnũ primum, à quo dependent, respiciunt, v.g. *Sanum*, quod dicitur de animali tanquam de primo, in quo subiectatur sanitas; postmodum de medicina, quatenus scilicet est effectiua sanitatis; & de pulsu, quatenus est sanitatis ostensiuus. Alia, quæ dicuntur similitudinis; & proportionis, quæ scilicet conueniunt in aliqua similitudine. v.g. *Pes*, respectu pedis animalis, & pedis scamni. Ex qua analogia desumptus est ille modus arguendi à proportione, quò sæpè vtũtur D.Bon.in 1.d.1.dub.5.lit. S.Bon. &d.3.p.1.ar.1.q.2.ad 3.&d.7.q. vlt.&d.29.a.1.q.2.corp.& ad 1. &d.46.q.5.&in.2.d.25.p.2.dub. 3. lit. & alij, de quo infra, cũ de speciebus discursus agemus. Et hæc de nominibus vniuocis, æquiuocis, & analogis, quæ passim reperies apud D.Bon. vtpotè quæ sit communis acceptio, & diuisio à Vetustioribus recepta, dicta sufficiant.

## De nominibus denominantibus, & denominatiuis, cõcretis, & abstractis. Cap. V.

Denominatiua ab Arist. di- Arist. cuntur, quæcũq. ab aliquo solo differentia casu secũdũ nomen habent appellationẽ. Scilicet, illa sunt nomina denominatiua, quæ ab alio accipiunt denominationẽ; ita tamen, vt à denominante differãt solũ in terminatione vocis, vt *sapiens*, quod est denominatiuũ sapientiæ; quoniam denominatur, & dicitur Sapiens à Sapientia. Et quia (vt docet S. S.Bon. Bon.2.sent. d.25.p.2. dub.6.lit. nomen imponitur rei à proprietate, seu forma denominãte; denominatur.n. sapiẽs homo à forma accidentali ipsi inhærente, scilicet sapientia. Vt plurimùm denominans est quid abstractũ; denominatiuũ verò est aliquid concretum ex forma denominante,

nante; & re ipsa denominata. Illud autẽ diçimus nomen abstractũ cũ *S. Bon.* in 1.d.4.q.1.corp. quod significat aliquã nudã formã ab aliquo cõposito abstractã: illud verò cõcretũ, quod illã eandem formam significat, ac superaddit id, à quo talis natura, & forma abstrahitur, v.g. *Humanitas* est nomen abstractum significans naturam humanam ab homine per intellectum abstractam. In qua abstractione (vt vult Philosophus) non est mendacium. Homo autem est nomen concretum significans eandem naturam humanam, & id, in quo natura humana reperitur, & quodammodo subiectatur. Vnde ad rẽ nostram, nomen cõcretum est denominatiuum, abstractũ verò denominans; ab humanitate quippe denominatur homo, seu potiùs humanus.

S. Bon. 2 Et quamuis (vt colligitur ex D. Bonau. 3. sent. dist. 7. art. 1. q. 1.) denominare propriè sit formæ accidentalis, quia formæ accidentales cõnotant subiectũ in actu, cui soli competit denominari; cùm denominari non possit id, quod actu non est; vnde esse supponitur ad denominari. Tamen etiã formę substantiales aliquo modo possunt dici denominare sua subiectã, vt humanitas hominem; denominatur .n. homo ab humanitate. Ratio, vt reor, est; quia etsi humanitas, & alia id genus, est substantia, habet tamen modũ accidentis; ac propterea à Seraph. in 2.d.3.p.1.a.2.q.2. ad 3. & alijs cõmuniter qualitas substãtialis appellatã. S. Bon.

3 Hinc orta est duplex illa diuisio nominis concreti, in cõcretum scilicet absolutum, & denominatiuũ. Concretũ absolutũ est concretum substantię; vt homo, quod significat, & importat duo, humanam scilicet naturã, & id, in quo humana natura reperitur. Concretũ verò connotatiuũ est concretum accidentis; vt album, quod importat duo, nempè albedinẽ, & subiectum, in quo inest albedo. Aduertit nihilominus idem *Seraphicus* in 3. ea dist. 7. q. 1. nuper citata, concretum, & abstractum propriè in terminis accidentibus dictũ reperiri: quæ est etiam aliorum doctrina communis; atq; ita abstractio, & denominatio se muquò comitantur, & propriè de solis accidentibus prædicantur. D. Bon.

4 Licèt autem (vt dictum est) nomen concretum, & denominatiuum, & nomen abstractũ, & denominans idem sint realiter, distinguuntur tamen formaliter; cùm alia sit ratio formalis nominis concreti, & alia denominatiui; & rursum alia sit ratio nominis abstracti, & alia nominis denominantis. Ratio formalis nominis concreti est, vt duo significet, id quo, & id, quod. Ratio autem nominis denominatiui est, vt ab alio

sumat denominationem. Ita ratio formalis nominis abstracti est, vt vnam formam nudam abstractam importet: ratio verò nominis denominantis, vt eandem formam significet, quatenus tamen quid denominat. Vnde denominans importat respectum per se ad denominatiuum; non sic abstractum ad concretũ.

5 Hic aduerte, quòd ad nomina denominatiua non sufficit, vt sint differentia in fine, & conuenientia in principio vocis, vt iustus iustitia; sed vlterius requiritur, vt denominatiuum verè denominetur à suo denominante. Et hoc dico, quia certum est cursum, & cursorem non esse nomina denominatiua, licèt habeãt primam conditionem; quia cursor non denominatur ab actu currendi, sed magis à naturali potentia, & aptitudine ad cursum: vnde magis dicitur à cursu currens, quàm cursor; vt luculenter notauit D. Bonauent. 1. sent. dist. 3. par. 2. quęst. 3.

D. Bon.

6 Aduerte rursus ex doctrina traditabifariã posse aliqd ab alio denominari. Primò denominatione intrinseca, & essentiali; & est quando res denominatur quoad ea, quæ sunt sibi intrinseca, & essentialia; sicut à rationalitate denominatur homo rationalis. Secundò denominatione extrinseca, quando scilicet denominatur res quoad ea, quæ sunt sibi extrinseca, & accidentalia. Quæ rursum duplex est, secundùm quod duplex est accidens subiecto inhærens. Aliud quippe accidens semper inhæret suo subiecto, v. g. albedo Cigno. Aliud verò est accidens omnino extrinsecùs adueniens, quales sunt relationes extrinsecùs aduenientes; sicut denominatur Deus Creator; non quia aliquod accidẽs inhæreat Deo, sed quia aliqua extrinseca relatione refertur ad creaturã, seu potiùs ipsa creatura ad Creatorẽ.

## De quibusdam alijs nominũ generibus. Cap. VI.

SOlet nomen adhuc diuidi, vt aliud sit positiuum, aliud negatiuum, aliud priuatiuum. Positiuũ illud dixerim, quod significat aliquam formam actu per positionem; vt homo. Negatiuũ verò illud, ꝙ negat omninò formam de re, cui talis forma non conuenit; vt non videns respectu lapidis. Priuatiuum denique, quod significat, & connotat carentiam alicuius formę in re, cui competit talis forma; vt cęcus respectu hominis. Et parùm refert, quòd priuatio, aut negatio explicetur in re, aut in modo; v. g. Non videns respectu hominis, explicatur quidem modo negatiuo, cùm tamen in re sit nomen priuatiuum.

2 Hinc facillimè potest intelligi,

telligi, quænam sit differentia inter nomen priuatiuum, & negatiuum; quòd priuatiuum importat carentiam formę in re, cui talis forma ex natura conuenit. Vnde saltem in consequenti dicit positionem, & aptitudinē in subiecto ad talem formam. Negatiuum verò nec principaliter, nec ex consequenti importat aliquam positionem, sed omnimodam carentiam formæ in subiecto, cui talis forma non competit.

3 Vt autem faciliùs cognoscatur, & discernatur nomen priuatiuum à negatiuo, id obseruandum est ex S. *Doctore*. Si quod à subiecto remouetur, inducit monstruositatem, & deformitatem in subiecto, erit nomen priuatiuum, v.g. cæcitas, & ignorantia in homine inducunt deformitatem; cùm homo cæcus, & ignarus sit (de mente etiā Philosophi) mancus, & imperfectus. Sin autē id, quod remouetur à subiecto per suam absentiam, non inducit monstruositatem, erit nomen negatiuum; vt ignorantia in Leone nullam dicit imperfectionem, cùm Leo absque doctrina, & scientia perfectus sit, atque completus.

4 Tandem memoriæ tenendum est, nomen negatiuum non esse verum nomen, vt supra dictum est, vbi de Nomine.

## De nominibus primæ, & secundę intentionis
### Cap. VII.

SVperest hoc vltimo loco, vt quid sit nomē primæ intentionis, quidue secundæ breuiter exponamus; eo maximè, quia *Dialecticus* circa nomina secundę intentionis totus versatur. Nomina primę intentionis ea sunt, quæ rebus conueniunt, & imponuntur ad earum quidditates declarandas, nullo intellectus conceptu interueniente; vt Petrus, Paulus, &c. conuenit enim huic homini esse hominem, esse Petrum, esse rationale, &c. etiamsi nullus homo hac de re cogitet. Nomina verò secundæ intentionis appellantur ea, quę rebus imponuntur per intellectus nostri conceptionem; itaut absque intellectus interuentu tale nomen illis nullatenus conueniat; vt subiectum, prædicatum, vniuersale, &c. cō uenit enim, v.g. Petro ita esse subiectum, vt si intellectus noster id Petro non tribuat, nullatenus de Petro prædicari possit.

2 Vel breuiùs, id nomen, quod conuenit rei secundùm se, est nomen primæ intentionis; quod verò imponitur rei ab intellectu, nomen secundæ intentionis, seu impositionis. Nam, licèt omnia nomina sint imposita

rebus

rebus ex instituto, vt superiùs demonstrauimus; quædam tamen ita rei imposita sunt, vt etiam verè & realiter illi conueniant, vt homini docto esse doctum. Alia verò ita rebus imponũtur, vt tamen eis ex se non competant. Et hęc diuisio nominis in primæ, & secundæ intentionis ortum duxit à rebus ipsis; quarum aliæ, cùm realiter existant, nomen etiam reale sibi asciscunt. Alię verò, cùm tantùm habeant esse intellectuale, nomen quoque intentionale, & per intellectum sibi vendicant. Quocirca ad maiorem intelligentiam huius rei, quæ maximi est ponderis in Dialecticis Institutionibus, operæ pretium duximus breuiter, quid sit ens reale, quidue ens rationis, & in quo differant explicare.

## Quid sit ens reale, & rationis. Cap. VIII.

IGitur ens reale illud est, quod habet esse in re extra suas causas, nullo intellectu cogitante; vt homo, qui actu existit, est ens reale, quippè qui etiamsi nullus hac de re cogitaret, verè, & realiter existeret. Ens verò rationis illud est, quod non habet esse, nisi quatenus ab intellectu concipitur, & dicitur ens rationis; seu (vt ait D. Bon. serm. 4. de lumin. seu in Gen. & in 2. dist. 12. quæst. 1.) ens in anima, seu ab anima, eo quia à ratione, & animi conceptu formatur. Vnde, & cessante actu intellectus, illud verè nihil est in se.

S. Bon.

2 Ens rationis subdistinguitur, vt aliud sit merum figmentum intellectus, qui nulli fundamento innixus format sibi in mente aliquod ens, quod communiter appellatur *Chimæra*. Aliud verò sit, quod quidem concipitur ab intellectu, ita tamen vt intellectus in illius conceptione alicui innitatur fundamento: & hæc communi vocabulo appellantur entia rationis Logica, quę, quia discursui maximè sunt accomodata, maximo etiam studio laborandum est, vt perfecta eorum cognitio habeatur.

3 Eapropter notandũ, ens rationis Logicũ esse aliquod commune, quod pluribus conuenire, & de eis prædicari potest. Non potest autẽ pluribus conuenire, nec de pluribus prædicari, nisi in pluribus realiter reperitur. Verũ, quia eadem numero natura pluribus communicari non potest, preterquam in Diuinis; intellectus noster eam naturam, quam in pluribus numero distinctis similem cognoscit, abstrahit à singulis, & ita abstractam concipit, conceptamque vt pluribus communem format ens rationis, quod vocant vniversale; quod quidem habet

funda-

fundamentum in re; quia scilicet in singulis indiuiduis verè reperitur tota natura, quæ cùm sit in indiuiduis plurificata, concipitur tamen ab intellectu vt vna, & ita vna, vt pluribus possit communicari. Ens igitur rationis Logicum (vt ex dictis potest facilè deduci) est illud, quod quidem habet esse per intellectus nostri conceptionem; ita tamen, vt intellectui verè aliquod in re fundamentum respondeat; & huius signum est, quòd in tali ente formando intellectus à rebus ipsis realibus dependet; neque enim intellectus tribueret homini, v.g. speciem, nisi homini ex natura sua speciei quidditas quodammodo conueniret. Hinc consueuerunt Doctores iure meritò affirmare, ens rationis Logicum materialiter quidem, seu potiùs aptitudinaliter, & ex sua natura realiter existere, formaliter tamen, siue actualiter ab intellectu in suo esse pendere.

4 Quæ cùm ita sint, discrimen inter ens rationis, & reale nollo negotio assignare valemus. Nam, si ens rationis est id, quod ex intellectus conceptu formatur, vtique ens reale absque aliquo intellectus interuentu in esse constituitur. Sed quoniam ens rationis Logicum ex supradictis ferè est aliquid commune, operę pretium erit, quotuplex sit communitas, & nomen commune, & in quo à particulari discriminet, breuiter enucleare.

5 Trifariàm igitur aliquid commune esse inuenio. Primò quidem, quia multis partiri, & diuidi potest; ita tamen, vt singulis singulę tantùm partes impartiantur: sicuti sunt illa bona, supra quæ tota aliqua communitas ius habet, & dominium: & hæc communitas est realis; neque ad rem, de qua nos agimus, plurimũ facit. Secundò, illud dicitur commune, quod totũ à pluribus participatur; quẽadmodum Diuina Natura in tribus personis commune bonum est: quippequòd tota, & eadem numero natura singulis quibusque personis communicatur. Hæc itidem communitas realis est; sicuti tota sacra Theologia, ac diuina scriptura vbiq. testatur. Tertiò denique dicitur aliquid commune; quia totũ pluribus communicatur, non tamen omninò idem; qualis est humana natura, quæ quidem tota singulis hominibus communicatur; ita tamen, vt non sit in omnibus eadem numero: & huius signum est (vt colligo ex S. Bon. in. 1. dist. 4. quæst. 2. corp.) quòd ad pluralitatẽ eorũ, quibus tota natura communicatur, entia quoque ipsa plurificantur. Neque enim (vt manifestè patet) Petrus, & S.Bon.

Paulus

Paulus vnus homo sunt, sed duo Et in hoc differt hæc tertia communitas à secunda; quòd in illa ad pluralitatem suppositorum, quibus communicatur natura, non plurificantur entia; vnum quippè est ens Diuinum, & infinitum, licèt tria sint supposita, quę naturam Diuinam totam, & indiuisibilem participant. At tertia communitas plurificat entia, licèt vna sit, & implurificata natura communis.

6 Quare, si huiusce rei causam intimiùs disquirere voluerimus, inueniemus, illam esse, quam supra assignauimus: quia scilicet tertia communitas licèt in re quoad materiale existat; quò tamen ad formale ab intellectu nostro dependet, qui ea, quę videt in simili natura conuenire, ad vnum quasi reducit, quod omnibus illis commune facit. Possumus autem hanc communem vnitatem materialem naturæ vnitatem homogeneitatis, seu vniuocationis ad differentiam communitatis formalis, quæ propriè est ens rationis, & vniuersale iuxta appellationem Seraphici Doctoris, nominare. Haud hic diutiùs immorabor, more recentiorum, inquirendo, quæ cognitio, & actus intellectus requiratur ad formandum ens rationis Logicum, & vniuersale; satis quippè esse debet Dialectico pro nunc nosse, ens rationis fieri ab intellectu; vt declaratum est: reliqua, Deo benè dante, in Metaphysica.

7 Illud tantummodò monuerim, etsi ens rationis, & ens secundæ intentionis, seu cognitionis plerunque, vt dictum est, pro eodem accipiuntur, nónunquam tamen inter se differre. Etenim non omne nomen secundæ impositionis dicit naturam communem, vt dicit ens rationis Logicum, sicut patet de his nominibus, subiectum, prædicatum, & copulam, quę eatenus solùm dicuntur nomina secundę impositionis, quia secundò sunt eis ex vsu imposita ad significandum id, quod ex se primò non significant. Nam Petrus ex sui prima significatione non significat aut prędicatum, aut subiectum; vt patet.

8 Ex his colligere licet, quę sit natura nominis communis. Nomen enim commune illud est, quod significat aliquam formam pluribus communem, vt homo; importat enim naturam humanam omnibus, ac singulis indiuiduis communem. Ex opposito nomen particulare illud est, quod significat vnum tantũ in vno; vnum, inquam, numero, non specie, aut genere, vt Petrus, Paulus, &c. Licèt enim Petrus sit commune omnibus, qui appellantur hoc nomine; hæc tũ cõmunitas est potiùs cõmunitas vocis, quã significationis.

9 Reuo.

9 Reuocantur quoq. huc nomina illa, quæ appellantur Transcendentia, quorum vsus cuilibet enti, siue substantiali, siue accidentali accómodatur, cuiusmodi sunt Ens, Vnum, Verum, Aliquid, & Res: eo enim quòd aliquid existit, ens est, vnũ est, &c. & dicuntur Transcendentia, quasi trans, & vltra omnia entia. Et hæc de Nominibus. Si quę autem supererunt explicanda, id accuratiùs præstabimus; cum de Vniuersalibus sequenti Libro differemus. Nunc ad Prædicationem, quæ maximè ad cognitionem veritatis discursiuæ conducit, accedamus.

# TRACTATVS
## QVARTVS.
## DE MATERIA DISCVRSVS,
nempe
## DE PRAEDICATIONE.

*IN HOC TRACTATV VIDEBIMVS.*

1 *Quid sit prædicatio.*
2 *Quotuplex sit prædicatio.*
3 *Qualis sit prædicatio.*

### Quid sit Prędicatio. Cap.I.

Hactenus egimus de Nomine, & Verbo, ad quæ tanquam ad principium radicale rediguntur omnia, quæ tractantur in Logica: nobis iam in posteriùs de Prædicatione, & Enũciatione, quæ in his cõstituitur, tractandum erit.

*Prædicatio* igitur, de qua S. Bon. in 1. dist. 34. art. 1. quęst. 2. est *Oratio, in qua aliquid de aliquo affirmatur, vel negatur.* Dicitur, *oratio*, pro genere; reliqua adduntur ad distinguendam prædicationẽ ab iis, in quibus nulla veritas, aut falsitas reperitur, quales sunt Orationes Rheto- D. Bon.

Rhetoricę,& alię huiusmodi,in quibus nihil verum dicitur, aut falsum. Vnde necessariò ad prædicationem tria requiruntur aut explicitè,aut saltē implicitè

2 Primò requiritur id, de quo: & dicitur Subiectum. Dein de id,quod: & appellatur Prædicatum. Denique vnio vtriusq. extremi; & dicitur Copula: in qua consistit tota vis, & formalitas prædicationis; sicuti patet in proposita pdicatione; *Homo est animal*. *Homo* est id,de quo; & dicitur Subiectum huius prædicationis. *Animal* verò est id, quod; & appellatur prædicatū. *Est*, denique: & est id, quod nectit vtrumque, & facit, vt alterum,scilicet *Animal*, prędicetur de altero,scilicet homine: quāquam autem prędicatio propriè in sola affirmatione consistit; largè tamen inuenitur etiā in negatione; quia vtrobique reperitur id de quo, seu Subiectum, & id quod, seu Prædicatum,& Copula.

3 Hic autem diligenter aduerte, tantam esse huius vocis *Est*, vim; vt sine illa nulla Oratio Logica confici possit. Dixi *Orationem Logicam*, quæ ex Arist. essentialiter importat aut veritatem, aut falsitatem; quæ veritas non est,nisi vbi vnum de altero aut affirmatur, aut negatur: propterea hic ab Aristotele reijcitur ab vsu Dialecticæ illa Oratio, quam communi vocabulo appellant imperfectam; eo quia nullam veritatem,aut falsitatem importat, & consequenter intellectum ambiguum, & suspensum relinquit; cuiusmodi sunt orationes illæ, in quibus aut nullum verbum explicatur; aut,si ponitur, non ponitur per affirmationem,aut negationem; quæ omnes, cùm ad Logicam non spectent, consultò à nobis pretermittuntur; vt ad eam, de qua Dialecticus agit,citiùs perueniamus, quæ alijs nominibus appellatur Propositio, & Enunciatio. Hinc deducitur,Prædicationem aliam esse affirmatiuam, in qua vnū de altero affirmatur; aliam negatiuam, in qua vnum de altero negatur.

Arist.

## Quotuplex sit prædicatio. Cap. II.

Antequam ad Enunciationis species gressum dirigamus,ordine naturali recensenda breuiter sunt ea,quę copiosè, & eruditè Seraphicus Doctor varijs suorum scriptorum locis, præsertim in 1.dist. 33. art.1.q. 2.& 3.& dist.34.art 1.q.2. & in 3.dist. 6.art.1.quæst. 3.& dist. 7. art.1 q.1. de multiplici prædicationum modo nobis scripta reliquit; vt Dialectico,quot modis vnum de altero prędicari contingat,aperiamus. S. Bon.

Primò igitur potest vnum de alio prædicari prædicatione directa,

recta, & naturali; cum scilicet id, quod de re prædicatur, verè secundùm naturam conuenit de subiecto enunciari; quo pacto prædicantur superiora de inferioribus, & aliquādo æqualia de æqualibus.

2 Secundò aliquid de aliquo contingit prædicari indirectè, siuè contra naturam; cùm scilicet id, quod prædicatur, non conuenit subiecto secundùm rectum ordinem naturę; vt puta, *Animal est homo*; quippè cùm animal sit prius homine secundùm naturam, & abstrahat ab esse, & non esse hominis, prædicatio incongrua redditur, & indirecta.

Prædicatione directa prædicantur Genera de suis Speciebus, & ipsorum Indiuiduis, de Differentijs tā genericis, quàm etiam specificis, & proprietatibus à differentijs essentialibus emanantibus; vt puta, Animal de homine, Petro, & Paulo, de sensibili, rationali, & irrationali. Prędicatur itidem prædicatione directa Species de suis indiuiduis, de differentia specifica, & eius proprietate; puta Homo de Petro, & Paulo, rationali, atq. risibili.

3 Prædicatione verò indirecta prædicantur Indiuidua de sua specie, ac differentia, & proprietate, & de genere sua differentia generica, eiusque proprietate, v.g. Petrus de homine, de rationali, & risibili, de animali, atque alijs superioribus generibus. Prędicatione itidem indirecta prędicantur species de generibus, ac eorum differentijs, puta, homo de animali, sensibili, &c.

4 Huic duplici prędicationi addunt aliqui tertiam, quam appellant præter naturam; quando scilicet vnum concretum connotatiuum prędicatur de altero; vt cum dicitur, *Album est dulce*; cuius prædicationis vim, & naturam inferiùs explicabimus. Porrò prędicatio indirecta, & contra naturam à Dialectico vitāda est, qui in suis prædicationibus ordinem naturalem, quantùm fieri potest, seruare debet tanquam veritati indagandæ maximè accōmodatū.

5 Prędicatio directa quadripartita est. Prima appellatur identica, quando idem prorsus de se ipso prædicatur; quod bifariàm contingere potest. Primò scilicet in re, & in voce, & in modo. vt *Homo est homo*; quę prædicatio licèt verissima, vsui tamen disserendi non est accōmodata Secundò in re tantùm, vt cùm dicitur, *Homo est animal rationale*; idem enim est in re animal rationale, & homo, & consequenter idem subiectum, ac prædicatum, licèt modus sit diuersus, cùm prædicatum expli cet subiectum.

Secunda est prædicatio per essen-

essentialē participationē; quādo scilicet vnum prædicatur de altero, eo quia subiectum participat naturā illius, de quo prædicatur, v.g. *Petrus est homo*; eo enim homo prædicatur de Petro, quia Petrus participat totā naturam hominis. Et hæc appellatur propriè prædicatio substantialis.

6 Tertia est prædicatio per vnionem: & hæc fit, quando diuersæ naturæ reperiuntur vnitæ in eodem supposito, ita tamen, vt vna non se habeat ad aliam per modum formæ, siue actus; & altera per modum materiæ, & potentiæ; quia tunc prędicatio esset per participationem, non per vnionem, v.g. *Deus est homo, homo est Deus*; hæ enim prædicationes veræ redduntur ex vnione Naturæ humanæ, & Diuinæ in eadem persona: & tanta est huius prædicationis vis, vt vnum contrarium de altero prædicari possit; admittitur enim absque vlla erroris suspicione à fidelibus hæc, & similis prædicatio: finitus est infinitus, mortalis est immortalis, & hæc appellatur prædicatio substantialis ad modum accidentis.

7 Quarta, & vltima est prędicatio per denominationem, quando scilicet ex inhærentia duarum formarum accidentalium in eodem subiecto, vt albedo, & dulcedo; rectè & congruè dicitur *Albū est dulce*: & e contra; *Dulce est album*. Porrò prædicatio denominatiua triplex adhuc constituitur à Seraphico Doctore 3. sent. d. 6. ar. 1. quæst. 3. ad 3. Primò per modum transeuntis, vt cum dicitur, *Petrus est dealbatus*; connotat enim in Petro albedinem per modum transeuntis. Secundò per modum possessionis; vt cum dicitur, *Hic liber est Socratis*. Tertiò per modum accidentalis vnionis; vt *Ferrū est ignitū*: & hæc appellatur absolutè prædicatio accidētalis; quibus possumus addere quartam per modum actionis; vt *Ignis est calefaciens*. S. Bon.

8 Prædicationis identicæ gratia sciendum est, & solerter obseruandum, aliter fieri, & contingere identitatem in summo simplici, ac in composito. Nam in summo simplici omnis prædicatio in re est identica, licèt non in modo; siue prædicetur per modum concreti, siue per modum abstracti; vt, omnis prædicatio, quæ fit in Duinis, est realiter identica; vt cum dico, *Deus est sapiens, Sapientia est bonitas*; idem enim omnino est subiectum, & prædicatum harum prædicationum, quod etiam accidere facilè perspicies in Quātitate: rectè enim dicitur *Longitudo est quantitas, & longitudo est quanta*; quia in Quantitate idem est prorsus concretū, & abstractum. At in rebus compositis

positis nulla inuenitur prædicatio identica, nisi quando subiectum est idem in re, & in modo cum prędicato.

9 Aduertendum insuper, in summo simplici quicquid prædicatur in concreto, posse prædicari & in abstracto, & in prædicatione subiectum posse explicari in concreto, prædicatum verò in abstracto; & è contra, prædicatum in concreto, & subiectum in abstracto: quod ritè non admittitur in his, quæ aliquam important aut pluralitatem, aut diuersitatem: ita benè admittimus in Diuinis, *Bonus est sapiens*, & *bonus est sapientia*, & *sapientia est bonitas*; nequaquam autem rationabiliter conceditur, *Liberum in humanis esse libertatem*, aut, *libertatem esse rationalitatem*, aut, *liberum esse rationalitatem*.

## Qualis sit Prędicatio: seu De veritate, & falsitate Prædicationis. Cap.III.

Veritatem prædicationis sumendam esse ex conuenientia rei prædicatæ ad id, de quo prædicatur, censuerunt cõmuniter huiusce rei Tractatores. Siquidem veram esse illam Prædicationem, in qua id, quod de subiecto prædicatur, verè subiecto conuenit, iuremeritò dixerunt: vt si iustitia conuenit homini, vera prædicatione enunciabitur de homine, quòd sit iustus. Ex opposito autem, quando id, quod subiecto in prædicatione tribuitur, subiecto non congruit, falsa censebitur prædicatio: vt, si de iniquo, à quo longè est omnis iustitia, enunciabitur quòd sit iustus, dubio procul falsa erit enunciatio, & prædicatio.

2 Duplex autem ex S.Bon. in 2.dist.37.quæst.vlt. inuenitur veritas in prædicatione. Altera essentialis; quando scilicet repræsentat id, ad quod repręsentandum assumitur; vt *Homo est animal*: veritas essentialis huius prædicationis est repræsentare intellectui rem eo modo, quo est, scilicet hominem esse animal, ad quod repræsentandum ab intellectu fuerat assumpta: Et hęc veritas, quippè quę est essentialis, à prędicatione est inseparabilis. Alia est veritas accidentalis; quando scilicet prædicatio repręsentat rem secundùm quod est; vt qualis sit res, talis sit prędicatio rem repręsentans. Et hæc veritas tollitur per falsitatem: tunc enim dicitur prędicatio falsa, quandò aliter repręsentat rem, quàm in se est. Id quod innuere voluit Arist. his verbis, *Ab eo, quod res est, vel non est, dicitur oratio vera, vel falsa*: Idest ex eo, quod res est, sicuti à propositione repręsentatur, vera est prędicatio:

S. Bon.

Aristot.

ex eo verò, quòd res aliter est, quàm à propositione repræsentatur, falsa redditur prædicatio.

3 Ex his collige Primò, eandem prædicationem posse esse veram, & falsam. Verã, inquam, veritate essentiali; quia scilicet repræsentat intellectui id, ad quod repræsentãdum ab ipso sumitur: falsam verò, quia caret veritate accidentali, cùm aliter repręsentet rẽ intellectui, quàm res ipsa sit: exempli gratia: *Homo non est animal,* verum est simul, & falsum: verum, quia id repræsentat, quod per eam repręsentare intenditur; scilicet quòd homo non sit animal: falsum verò, quia repræsentat, hominem non esse animal; cùm tamen verè sit animal.

4 Collige Secundò cum *S.* S.Bon. Bon. eandem prædicationem, pro statu rei diuerso, modò esse veram, modò falsam: vt, *Homo est iustus,* in statu peccati falsa est; in statu gratię vera est. Ratio est, quia veritas propositionis dependet ex vera repręsentatione rei, sicuti est; vnde facta mutatione in re, modò propositio vera est, modò falsa; vt cuilibet speculanti facile est intelligere. Hoc autem intelligẽdum est de veritate accidentali.

5 Collige Tertiò cum eodem S.Doctore veritatem, seu S.Bon. falsitatem prædicationis esse veritatem complexam, in qua scilicet verè, vel falsò vnum de re enunciatur. Aduerte tamen trifariam posse contingere complexionem in veritate prædicationis. Primò, vt sit complexio in potentia cognoscente, & in obiecto cognito. Secundò vt sit tantùm in potentia cognoscente; quomodo intellectus creatus cognoscit complexè Deũ, quod est obiectum simplicissimum. Tertiò & vltimò circa obiectũ tantùm; quo pacto Deus cognoscit res creatas complexas incomplexè; quãquam hęc cognitio non est verè cognitio per prædicationẽ. Collige vltimò, ex duplici veritate à nobis in prędicatione constituta essentiali scilicet, & accidentali ad Dialecticas veritates potissimũ spectare veritatem accidentalẽ, quippè quę representat rem intellectui; sicuti est: vndè deducitur vis, & robur disserendi.

TRACTA-

# TRACTATVS QVINTVS.

## DE MATERIA DISCVRSVS, nempe DE PROPOSITIONE.

### IN HOC TRACTATV VIDEBIMVS.



### Quid, & quotuplex sit Propositio. Cap. I.

QVamuis Propositio, & Enunciatio (si eius naturam intimiùs consideremus) sit potiùs instrumentum prędicationis, quàm ipsa formalis prædicatio; cùm à Dialectico ad prædicandum vnum de altero in vsum assumatur: quia tamen Doctores pro eodem Prædicationem, & Enunciationem, seu Propositionem vsurpare consueuerũt; nos quoque huic vsui accõmodantes pro eodem vsurpabimus tum Prædicationem, tum Enunciationem, seu Propositionem. Quocirca, explicata à nobis natura, & quidditate prędicationis, non est cur immoremur in declaranda essentia Enunciationis, cùm ex natura Prędicationis, Enunciationis quoq; quidditas satis superque possit intelligi. Totus ergo in hoc Tractatu sermo erit de multiplici, ac vario Propositionum, seu Enunciationum genere: relictis autẽ Modalibus (de quibus infra suo

loco eas, quæ sine modo, primò complectemur, &c.

2 Primò diuidemus Enunciationem in simplicem, & compositam, Simplicem illam appellantes, in qua vnũ de vno prędicatur p se, & ad modũ vnius: Cõpositã verò, in qua plura de vno, vel pluribus per se, & principaliter prædicantur, & admodũ plurium. Dixi, *Principaliter*, quia per verbum principale sumenda est simplicitas, & compositio Enunciationis. Hęc enim Enunciatio: *Hæreticus qui perturbat pacem, est inimicus Christi*, simplex est: quia vnum tantùm principale verbum in ea assumitur. Hæc autem: *Petrus est animal, & homo*, est composita; quia plura verba principalia in ea assumuntur: siquidem ad compositam Enunciationem conflandam sufficit plura verba principalia etiam tacitè contineri; perinde enim est dicere, *Petrus est animal, & homo*, ac si dicatur, *Petrus est animal, & est homo*. Et aduertendũ est parùm referre, si aut plura sint subiecta, de quibus vnum prædicatur, vt *Petrus, & Paulus est animal*; aut plura prædicata, quæ de vno enuncientur, vt in enunciatione iam allata; *Petrus est animal, & homo*. Et licèt Recentiores existiment, ad compositam enunciationem constituendam necessariò requiri, vt vna inferat aliam; quia alioquin ex eorum sententia non erit composita enunciatio, sed plures simplices; hoc tamen falsum esse credo; cùm vera ratio compositionis in pluralitate prædicatorum, vt sic, salua consistat: quoties autẽ in enunciatione prædicantur plura ad modum cuiusdam quasi deductionis, seu suppositionis, & sequelæ, Enunciatio erit hypotetica. Itaut primaria sectione diuidatur enunciatio in simplicẽ, qñ vnũ, vel plura prędicãtur ad modũ vnius; & cõpositã, quãdo plura ad modum plurium; & hypoteticam, quando plura ad modũ sequelę, seu concomitantiæ.

3 Diuiditur secundò Enunciatio, seu Propositio, vt alia sit vniuersalis, in qua de singulis speciebus, & indiuiduis genera prędicantur; vt, *Omne animal est substantia*, & *Omnis homo est animal*: quę communiter explicantur per hæc signa, *Omnis*, *Nullus*. Alia particularis, in qua aliquid prædicatur de aliquo particulari; vt *Petrus est animal*, vel *Hic homo est animal*. Alia indefinita, in qua indeterminatè prædicatur aliquid de aliquo; vt cum dicitur, *Animal est substantia*; subiectum enim *Animal* est quid indeterminatum, vt potè quod abstrahit ab hoc, & ab illo animali. Hæc autem Enunciatio indefinita, si prædicatum necessariò conuenit subiecto, æquiualet vniuersali: particulari verò

verò, si prædicatum sit contingens. Et aduertendum est, in Scholis, & in libris vsum iam obtinuisse, vt omnis ferè propositio pronuncietur indefinitè, quia id est & sermoni accommodatius, & intellectui promptius: ita enim si quis velit probare hominem esse substantiam, dicet, *Homo est animal, ergo est substantia.*

4 Diuiditur vlteriùs Enunciatio in affirmatiuam, in qua aliquid de aliquo enunciatur, vt *Christianus est membrum Christi*: & negatiuam, in qua aliquid ab aliquo enunciatur, seu aufertur, vt, *infidelis non est Christianus*. Quòd si prædicatum, quod aufertur à subiecto, sit eius naturæ conueniens, dicitur Enunciatio priuatiua, qualis est immediatè allata: sin autem prædicatum, quod à subiecto aufertur, eius naturæ non conuenit, Enunciatio simpliciter negatiua censebitur. Et in omni Enunciatione respiciendũ semper est ad verbum principale, quod est causa affirmationis, vel negationis. Vnde hæc est affirmatiua, *Omnis, qui non credit Ecclesiæ, est hæreticus*: hæc autẽ negatiua, *Omnis spiritus, qui aufert Christum non est bonus.* Oritur autem triplex hęc diuisio Enunciationis ex triplici ipsius consideratione. Si enim consideretur quò ad substantiã, sic habetur prima diuisio, quippè quòd sit essentiale Enunciationi, esse simplicem, aut cõpositam: Si verò ad quantitatem oritur secunda: tertia denique, & vltima, quò ad qualitatem.

5 His addere possumus alias diuisiones Enunciationis, nempè vt alia sit substantialis, cũ pręd icatũ cõuenit essentialiter subiecto; alia accidentalis, cum pręd icatum conuenit accidentaliter; alia necessaria, cum prædicatum conuenit subiecto necessariò; alia contingens, quando tantùm contingenter; alia impossibilis, quando prædicatum nullo modo potest conuenire subiecto; alia vera, alia falsa, de quibus satis Capite pręcedenti.

## Vnde oriatur veritas Propositionum. Cap.II.

AD intelligentiam huius Capitis supponendum est Primò, veritatem propositionũ esse veritatem complexã; quod innuere voluit D.Bon. cum dixit, Propositiones esse transitiuas. Supponendum secundò, tunc veram esse Propositionẽ, quando id, quod de subiecto prædicatur, verè illi competit; quemadmodum supra explicauimus. His suppositis. D.Bon.

2 Vel loquimur de propositionibus simplicibus, vel de compositis. Si de Simplicibus: dico, ex quintuplici capite oriri

veritatem; quorum aliqua recenset Seraph. in 3. dist. 3. art. 1. quęst. 1. Primò ex participatione naturarum, quas participant Subiectum, & Prædicatum; ideo enim vera est hęc propositio, *Homo est animal*, quia homo participat naturam animalis. Secundò ex vnione duarum naturarum in vno supposito; exinde vera est hæc, *Homo est Deus, & Deus est homo*, qa natura humana, & Diuina in vna persona vniuntur. Tertiò ex inhęrentia vnius formę accidentalis in vno subiecto; vt *Paries est albus*, vera est, qa albedo inhæret parieti: vel duarũ formarũ itidem accidentalium in subiecto eodem, vt *Calidum est frigidum*, vera est, quia calor, & frigus eidem insunt. Quartò ex processione, seu emanatione vnius formæ ab alia, vt *Sol est agens*, vel *Sol est lucens*, vera est, quia à Sole lux, & actio procedit. Quintò ex possessione rei cuiuspiam, vt *Liber est Socratis*, vera est, quia Socrates possidet librum. - S.Bon.

3 Si verò loquamur de Propositionibus compositis, veritas oritur ex conditione, seu suppositione in ꝑpositione assũpta vt, *Si Deus iustus est, hæreticus damnabitur*: veritas istius pendet ex iustitia Dei, qui, si iustus est, non potest non quenquam pro suis meritis aut damnare, aut glorificare.

4 Et cùm iam de Propositionibus hypotheticis aliquid in dicendo tetigerimus, breuiter earum naturam, & diuersitatem absoluamus. Natura Propositionis hypotheticæ duo requirit. Primò, vt plura principaliter prædicentur. Secundò, vt prædicentur aliqua cõnexione; quòd si secunda conditio desit, non vna propositio hypothetica, sed plures simplices reputantur; vel potiùs vna composita.

5 Quò ad diuersitatem bifariam contingit fieri propositionem hypotheticam. Primò, *Conditionaliter*; cum scilicet in ea adhibetur terminus conditionalis, *Si*: vt, *Si Deus est iustus, impius peribit*, vel *Si Deus est iustus, sequitur, ipsum iustè omnia iudicare*. Secundò, *disiunctiuè*, quando scilicet in ea ponitur terminus disiunctiuus, *Vel*, vt *Vel anima hominis est immortalis, vel Deus est iniustus*. Oportet autem semper, vt altera pars sit vera ad hoc, vt vera sit propositio disiunctiua.

## De oppositione Propositionum. Cap. III.

OPpositio, prout ad præsentem Tractatum spectat (vt incipiamus à Definitione) est repugnantia duarum propositionum circa idem omninò subiectum, & prędicatum, quia vera contrarietas necessariò pręexigit,

xigit identitatem in propositionibus, non tantùm respectu subiecti,sed etiam prædicati. Contingit autem tripliciter, vnam propositionẽ alteri contrariari.

2 Primò, *Contrariè*; quando scilicet ambæ propositiones sunt vniuersales; vna affirmatiua,negatiua altera;vt

*Omnis hæreticus est impius.*
*Nullus hæreticus est impius.*

Nam illud idem, quod vniuersaliter prima affirmat; secunda vniuersaliter negat.

3 Secundò, opponuntur *Subcontrariè*;cum videlicet ambæ propositiones sunt particulares, altera affirmatiua, altera negatiua;vt

*Quidam homo est iustus,*
*Quidam homo non est iustus.*

4 Tertiò denique,*Contradictoriè*; quando nimirùm altera propositio est vniuersalis affirmatiua;altera particularis negatiua;vt

*Omnis virtus est laudabilis,*
*Aliqua virtus non est laudabilis.*

Vel ex opposito,vna vniuersalis negatiua,altera particularis affirmatiua; vt

*Nullũ vitium est admittendũ*
*Aliquod vitiũ est admittendũ.*

Est etiam contradictio in sola affirmatione,& negatione eiusdem; vt

*Deus est,*
*Deus non est.*

5 Hic aduerte circa contrarias, & subcontrarias posse esse repugnantiam in re, licèt non sit in modo;vt

*Quidam homo est amicus Christi,*
*Quidam homo est inimicus Christi.*

Aduerte etiam contrarias in materia non necessaria,seu contingenti, quando scilicet prædicatum non conuenit subiecto in primo, vel in secundo modo dicendi per se ( hanc nanque ampliationem suscipit necessarium hoc loco ) posse esse simul falsas;vt

*Omnis homo est iustus*
*Nullus homo est iustus.*

Vtraque falsa est: Nunquam tamen in quacunque materia posse esse simul veras.

Ex opposito subcontrariæ in materia itidẽ contingenti possunt

sunt esse simul verę, nunquam autem simul falsæ. Et hæc de oppositione propositionum.

6 Et quamuis *Subalterna* aliquo modo apponantur, propriè tamen non dicuntur opponi, nisi in subalternata opponatur aliqua conditio exclusiua, *tantùm*, vel alia huiusmodi. *Subalterna* autem illæ censentur, quando vna propositio est sub altera, sicut est particulare sub vniuersali; vt

*Omnis homo est animal.*
Sub qua ponitur hæc alia
*Aliquis homo est animal.*

Quæ possunt esse simul veræ, & simul falsæ: & vna vera, & altera falsa; vt
*Omnis homo est iustus.*

Falsa est, & dicitur subalternãs, vera autem est particularis,

*Aliquis homo est iustus.*
Quæ subalternata appellatur:

## De æquipollentia Propositionum. Cap.IV.

Aequipollentiam propositionum, arte Dialectica inuentam, nihil aliud esse existimamus; quàm quòd duę propositiones oppositæ, ex additione aliqua facta vni, altera manente prorsus immutabili, ad idem prorsus significandum redactæ sint. Possunt ergo propositiones oppositæ reduci ad ęquiualentiam hoc modo.

Primò, si alteri contrariarum addatur hæc dictio, *Non*, post signum, *Omnis*, *Nullus*, *&c.* v.g.

*Omnis homo est iustus,*
*Nullus homo est iustus.*

ambę sunt contrariæ; addatur ergo secundæ propositioni hæc vocula, Non, post signum, *Nullus*; sic
*Nullus non homo est iustus.*

idem significabit, ac
*Omnis homo est iustus.*

eodem modo intelligendum est in subcontrarijs.

2 Secundò, duo contradictorię fiunt æquiualentes, si alteri earum addatur eadem vocula, *Non*, ante signum: v.g.

*Omnis homo est iustus,*
*Aliquis homo non est iustus.*

fiat sic,
*Non omnis homo est iustus.*

& idem significabit, ac
*Aliquis homo non est iustus.*

Denique duæ subalternę ad ęquiualentiam, reducuntur, si alteri earum ante, & post signũ, addatur illa eadẽ dictio, *Non*: vt *Omnis*

*Omnis homo est animal.*
*Aliquis homo est animal.*

fiat sic
*Nõ omnis nõ homo est animal.*

& iam erunt æquiualentes.

3 Ad has regulas cognoscēdas solet hic versus adhiberi,

*Præ contradic, post contra, præ, postq; subalter.* idest

Negatio in Contradictorijs præponitur signo; in Contrarijs verò postponitur; in Subalternis tandem præponitur, & postponitur, vt ex dictis patet. Hæ sũt regulę æquipollentiam propositionum demonstrantes; quarum tamen vsus aut nunquam, aut rarò in Scholis adhibetur; quia vanum est vti propositionibus æquipollentibus, quæ sunt obscuriores; vbi existunt aliæ in se ipsis clariores, & faciliores.

## De conuersione Propositionum. Cap.V.

NE quicquam vtilitatis arti Dialecticæ desiderari possit, adinuentus est quoque modus, & via ita conuertendi propositiones, vt vera consequentia possit vna in alteram commutari; quæ commutatio, siue conuersio dupliciter fieri potest

Primò, si conuertatur omnino propositio, scilicet, quod erat prædicatum, fiat subiectũ; & è contra, eadẽ seruata quantitate: quæ conuersio appellatur conuersio simpliciter.

2 Secundò, quando, mutato prędicato in subiectum, vel è contra, mutatur etiam quantitas propositionum; itaut, quę erat vniuersalis, in conuersione fiat particularis: & hæc dicitur conuersio per accidens.

Ad quorum intellectionem modorum ponitur illud carmen

*Feci simpliciter, cõuertitur Eua per acci.*

in quo notandæ sunt vocales cuiuscunque syllabæ duarum illarum vocum, *Feci*, quę est pro primo modo; & *Eua*, quæ est pro secundo modo: ita vt, *E*, ponatur pro vniuersali negatiua; *A*, pro vniuersali affirmatiua; *I*, denique pro particulari affirmatiua. Reducamus igitur rem ad exemplum.

Primo modo conuertuntur vniuersalis negatiua, & particularis affirmatiua, sic

FE Vniuersalis negatiua { *Nullus homo est Leo,* conuertatur simpliciter, fic *Nullus Leo est homo*

CI

| | | |
|---|---|---|
| CI —— Particularis affirmatiua | { | *Aliquis homo est iustus,* conuertatur simpliciter,sic *Aliquis iustus est homo* |

Secundo modo conuertuntur vniuersalis negatiua, & vniuersalis affirmatiua,sic

| | | |
|---|---|---|
| E —— Vniuersalis negatiua | { | *Nullus homo est lapis* conuertatur sic *Aliquis lapis non est homo* |
| VA —— Vniuersalis affirmatiua | { | *Omnis homo est animal* conuertatur sic *Aliquod animal est homo.* |

3 Quòd si aliquando contingat, vniuersalem affirmatiuã rectè conuerti simplici conuersione,hoc est per accidens,quia scilicet prædicatum est propriũ illius subiecti, & subiectũ illius prædicati; vt patet in hac propositione.

*Omnis homo est rationalis,*
*Ergo omne rationale est homo*

conuersio quidem est bona, sed (vt dixi)per accidens;quoniam rationale est proprium hominis, sicut homo rationalis est: idipsum dico de particulari affirmatiua, quæ aliquando rectè conuertitur per accidens.

Nec mireris, si non ponimus particularem negatiuam, quæ continetur in illo alio versu, & connotatur in illa vocali, O,

*Ast,O, per contra sic fit conuersio tota.*

sicut ab aliis fieri consueuit; quia præterquàm quòd captu difficilis est,& propterea mentem obruit; parùm etiam, aut nihil est vsui, & ratiocinationi accommodata.

4 Aduerte autem, harum regularum vsum discursui optimè inseruire. Potest nanque per datas regulas recta, & vera consequentia deduci veritas vnius conuersæ ex veritate prioris, quæ appellatur conuertens sic.

Conuertens --- *Nullus homo est Leo*
Conuersa --- *Ergo nullus Leo est homo.*
Cnnuertens --- *Omne animal est viuens*
Conuersa --- *Ergo aliquod viuẽs est animal.*

Quæ omnes sunt bonæ consequentiæ;& id genus aliæ permultæ poterunt disputando facilè

cilè deduci: solum illud attendendum, ne error contingat in conuersione, vt accipiatur propria cóuertentis conuersa; alioqui non curret argumentum: vt benè notauit S.Bon. in 1.d. 37.art.2.quæst.2.ad 1. S.Bon.

## De Propositionibus Modalibus. Cap.VI.

EXpeditis ijs, quæ ad naturã Propositionis simplcis, & Categoricæ, seu de inesse spectant, facillimum erit Modaliũ essentiam declarare; etenim magna ex parte harum cognitio ex illarum notitia pendet. Quocirca paucis expedire deliberamus ea, quæ prolixè de Propositionibus Modalibus tradunt Dialectici. Quatuor autem circa Propositiones Modales proponemus. Primò Naturam, secundò Oppositionem, tertiò Aequipollentiam, quartò Veritatis originem.

Quoad *Naturam*; Modalis Propositio est illa, in qua vnus ex quatuor istis modis adhibetur; videlicet

1 Necessariũ; vt *Necessariũ est hominem esse animal.*

2 Cõtingens; vt *Cõtigens est, hominem esse iustum.*

3 Possibile; vt *Possibile est, hominẽ Dei legẽ seruare*

4 Impossibile; vt *Impossibile est Deum mentiri.*

est autem modus conditio quædam modificans, & determinans Enunciationem.

2 Et aduertendum est, hos modos posse etiam aduerbialiter, seu aliter vsurpari; vt

*Necessariò Deus est iustus.*
*Contingenter homo currit.*
*Homo potest saluari.*
*Deus non potest peccare.*

Quò ad *Oppositionem*; duplex potest Oppositio inueniri in Propositione Modali. Alia circa ipsam propositionem. Alia circa ipsos modos. De prima iam tractatum est, cum de Propositionibus Categoricis, seu simplicibus; ea enim, quæ ibi diximus, hic quoque valere putamus. Oppositio autem, quæ hoc capite explicanda proponitur, attenditur penes modos iam allatos, itaut, *Necessarium* opponatur *Contingenti*. *Possibile* verò opponatur *Impossibili*.

Et in contrarietate seruanda est identitas propositionis eo modo, quo superiùs de categoricis, seu simplicibus exposuimus; vt Init. cap.3

*Necessariũ est, hominẽ esse animal.*
*Cõtingẽs est, hominẽ esse animal.*
*Possibile est, cæcum videre.*
*Impossibile est, cæcum videre.*

Quò ad *æquiualentiam*, seruanda

uanda est regula superiùs allata; scilicet, quod addatur alicui modo negatio ad hoc, vt fiat modalium æquipollentia, hoc vno excepto, quòd parùm refert, si negatio præponatur, vel postponatur modo; v.g.

Cap.4.

*Necessarium est, Deum esse.*
*Contingens est, Deum esse.*

hæ sunt oppositæ; fiant æquipollentes, sic

*Necessarium est, Deum esse.*
*Contingens non est, seu non est contingens, Deum esse.*

Ita in alijs duabus;

*Possibile est, hominem saluari,*
*Impossibile est, hominem saluari.*

Sunt contrariæ, fiant æquipollentes.

*Impossibile non est, seu, non est impossibile hominem saluari.*

æquiualet alteri

*Possibile est, hominem saluari.*

Cap.2. 4 Quò ad *radicem veritatis*, recensenda sunt, & memoria recolenda, quæ supra in simili dubitatione de Propositionibus Categoricis cõmemorauimus; ex quintuplici scilicet capite ortum habere harum veritatem propositionum.

Primò, ex participatione alicuius naturæ ab aliquo subiecto; quo pacto ista est vera, *Necessarium est, hominem esse animal*; quia homo necessariò participat naturam animalis.

Secundò ex vnione duarum naturarum in vno subiecto; vt, *Possibile est, hominem esse Deũ*, vera est; quia possibile est Diuinam, & humanam naturam eidem vniri personæ.

Tertiò, ex inhærentia vel vnius formæ accidentalis in vno subiecto, vel duarum in eodem subiecto; vt, *Possibile est, hominem esse doctum*; &, *doctum esse album*, verę sunt, quia homini doctrina, & albedo simul inhærere potest.

Quartò, ex emanatione, seu efficientia alicuius ab aliquo; vt, *Possibile est, solem illuminare*, vera est, quia lumen à Sole manare potest.

Quintò & vltimò ex possessione rei cuiuspiam; vt, *Contingens est, Asinum esse Socratis.*

5 Hæ sunt radices veritatis, non sunt tamen sufficientes ad reddendam Propositionem Modalem, nisi ita participentur, vel vniantur; sicut per modum explicantur: exinde non est vera hæc propositio. *Necessarium est hominem esse iustum*; quia iustitia non inhęret homini necessariò, sed contingenter; ratio est, quia veritas propositionis modalis pendet ex conuenientia sic modificata.

De conuersione Modaliũ nihil momenti dicendum occurrit; cùm earum conuersio sic se habeat, sicut & Categoricarum.

Ponitur

## Ponitur regula specialis ad veritatem harum Propositionum cognoscendam.

## Cap. VII.

QVia non rarò in Scholis, & in Libris harum accidit vsus Propositionum, accuratiùs earum veritas inquirenda est, & declaranda; ne ex ignorantia, quę sunt falsa vera, & quæ possibilia impossibilia, & quæ contingentia necessaria esse existimemus: qua de re sanctus Bonau.in 1.dist.46.quęst.4.

S.Bon.

In primis ergo magnoperè obseruandum est, duplex ex D. Bonau. in 1. dist.40.ar.2.q.1.necessarium, & duplicem necessitatem reperiri. Alteram, quam vocant absolutam, & consequentis. Alteram, quam conditionatam, & consequentiæ, seu ex hypotesi appellant. Illa est, quę in se necessaria est, & independens à quocunque alio respectu ipsi extrinseco; vt quòd *homo sit animal*; ita enim necessarium est homini esse animal, nulla ratione habita ad aliquid aliud extrinsecum, vt verè, & realiter non sit homo, nisi sit etiam animal. Hęc autem est necessitas dependens ab aliquo extrinseco respectu illius rei, de qua talis necessitas affirmatur; vt, *Si homo currit, necessariò mouetur*: non enim moueri ita necessariò prædicatur de homine, vt, si non moueatur, proinde non sit homo, sed conuenit homini, eo quia currit; posito nanque, quòd homo non currat, non mouebitur, & tamen verè, & essentialiter erit homo. Quo fit, vt prior necessitas sit in compossibilis cum contingentia, posterior verò composibilis: contingens enim non est, hominem esse animal: quia necessariò in se est animal: at benè contingens est, hominem moueri; quia natura hominis non dependet ex motu, neque necessariò mouetur, nisi dū currit; implicat enim currere, & non moueri.

2 Aduertendum est deinde, ad hanc duplicem necessitatem discriminandam optimam regulam sumendam esse ex propositione simplici hoc pacto. Vt cognoscam, an alicuius propositionis necesitas sit absoluta, nec ne, sic faciam: Auferam primum prædicatum illius propositionis, relicto solo secundo: quòd si, ablato primo prædicato, adhuc secundum necessariò conuenit subiecto; tunc illa necesitas erit absoluta, & consequentis: Sin autē, ablato primo prædicato, secūdū non ampliùs necessariò conuenit subiecto; necesitas illa dependens, & ex hypothesi cen-

censenda erit: quod patet; quia ablato illo, à quo dependebat, non ampliùs est necessitas: si .n. auferatur v.g. primum prędicatum propositionis antedictæ, nempè, *Si currit*, à subiecto homine, & secundum solùm assumatur, nempè, *Necessariò mouetur*, è vestigio patebit, an illa necessitas sit absoluta, seu potiùs contingens.

3 Cauendum est autem diligenter in his propositionibus, ne fiat transitus à sensu diuiso ad sensum compositum; alioquin in magnos errores Defendens deduceretur. Sensus autem diuisus breuiter sic explicari potest; vt sit ille, qui simul & semel non vnit duo extrema in eodem subiecto. Ex opposito autem sensus compositus est, qui ambo extrema simul & semel vnit in eodem subiecto. Vt, *Possibile est, aquam calidam esse frigidam*. Sensus diuisus est, quando intelligimus calorem, & frigus non vniri aquę simul & semel, sed successiuè post calorem frigus, & post frigus calorē. Sēsus verò compositus est, quādo intelligimus, calorem, & frigus simul & semel aquæ vniri.

4 Ad cognoscendum verò, quando vterque sensus tam diuisus, quàm compositus verificari queat, obseruāda est vtriusque extremi natura, & conditio; vtrùm scilicet duo extrema sint inuicèm compossibilia, an incōpossibilia, vt eruditè admodùm monet S. Bon. Quippè quando vna forma, seu natura secum non potest sustinere aliam, quia implicant adinuicem contradictionem; tunc illæ duæ formæ, seu naturæ non possnnt vniri, nec potest de eis verificari sensus cōpositus, sed tantùm diuisus; exempli gratia: *Possibile est, currentem quiescere*; hæc propositio non est vera in sensu composito; quia cursus, & quies sunt duæ formæ implicantes, & inuoluentes contradictionem, & consequenter incompossibiles: Vera tamen est in sensu diuiso, quia nullam inuoluit contradictionem, quietem inhærere subiecto post implicatam formam, idest post cursum. Quando verò vna forma, seu natura est alteri compossibilis, quia vna non implicat, nec inuoluit contradictionem alterius; tunc illæ duæ formæ, seu duæ naturę poterunt in eodem subiecto vniri; & de eis verificari poterit non solùm sensus diuisus, sed etiam compositus; vt, *Possibile est, hominē esse Deum*, vera est hæc propositio in sensu cōposito; quia possibile est, nullamque inuoluit contradictionem, naturam Diuinam, & humanam vniri simul & semel in eadem persona; sicut de facto in admirabili Incarnationis mysterio euenisse, Diuina testantur eloquia. S. Bon.

5 Et hæc de propositionibus

nibus tam de inesse, quàm modalibus dicta sufficient; si vnum adhuc addatur verbum, vsum scilicet in Scholis iã obtinuisse, vt cum modus præponitur toti propositioni, accipiatur illa propositio pro sensu composito; vt, *Possibile est, calidum esse frigidum*: pro sensu verò diuiso, cum modus interponitur prædicato, & subiecto; vt *Calidum possibile est, esse frigidum*; licèt reuera idem significet propositio, siue prçponatur, siue interponatur modus. Et ideò, extra Dialecticos, non tam rigorosè sumendç sunt istæ propositiones, nec tanta subtilitas obseruanda, quanta in ratiocinationibus, & syllogisticis discursibus obseruatur.

## De Propositione per se nota, quid ea sit, & quomodo cum demonstratiua conueniat, seu differat. Cap. VIII

Propositis, ac pro virili mea absolutis ijs, quæ de Propositionibus tã simplicibus, quàm compositis, modalibus, & sinemodo necessaria adiudicaui; consentaneum est, vt de illa propositione, quam per se notam Sapientes appellant, cuius notitia plurimùm disputationi conducit, aliquid compẽdiosè dicam. Licèt autem non sit propositi mei, longas huic paruulo Dialecticès Opusculo intexere altercationes; aliquando tamen non licet, perfunctoriè saltem, non aliorum etiam pertingere opiniones.

De hac itaque re varia sunt inter Doctores dissidia, vt videre est apud Vrinensem nostrum Tract.2. de Deo Vno, & Trino, quæst.1. per totum. Nam alij arbitrantur, Propositionem per se notam dici tantùm in ordine ad intellectum: quoniam, si rei ipsius ratio spectetur, nõ per se nota, aut cognita, sed potiùs cognoscibilis dicenda erit. *Vrinen.*

2 Alij verò, vt Gandau. in Sum. art. 22. q. 2. Propositionem per se notam dici credunt, non quòd per se actu cognoscatur, (solùm quippe tunc esset per se nota, cũ ab intellectu actu perciperetur) sed ideo per se notam vocari; quia per se apta est parere veritatem in intellectu quocunque terminos illius cõcipiente. *Ganda.*

Alij verò distinguunt propositionem per se notam, vt alia sit per se nota secundùm se, alia quoad nos: de qua distinctione plura, fauente Deo, 3. par. summæ Philosophicç Tract. de Euidentia expendemus.

Cçterum, salua omni meliori ratione, reor, non adeò propriè ab his omnibus, nec ad germanum sensum propositionis per se notæ assignatam esse rationẽ; istiusque improprietatis originem

nem ex parùm apta vocis illius, *Nota*, intellectione deriuatam esse, opinor. Nam, *Notam*, pro eodem capiunt, ac cognitam, vt verba ipsorum apertè testantur; cùm tamen, *Nota*, hic non sumatur pro cognita, sed pro euidenti, & manifesta (quantum ex s. Bonau. in 2. dist. 39. art 1. quęst. 2. deducitur) vt sit sensus, per se nota, idest per se manifesta. Et hæc quò ad Propositionis nomen, & nominis etymon. S. Bon.

3 Agè verò ad sensus aperitionem accedamus: Etenim omnes vno ore fatentur, Propositionem per se notam eam esse, quę, cognitis terminis ipsius, puta subiecto, & prædicato, parit sine alio medio veritatem in intellectu, ita etiam Seraphicus in 1. dist. 8, par. 1. ar. 1. quęst. 2. Ratio est, quia prędicatum clauditur in subiecto; verbi gratia, cognitis huius Propositionis *Omne totum est maius sua parte*, cognitis, inquam, terminis, quid sit *totum*, quid *pars*, quidue *maius*; è vestigio intellectus illius connexioni acquiescit. Dicitur autem Propositio esse per se nota: quia non per aliud; nam esse notum per se, & per aliud est incompossibile. Sic igitur non est nota per aliud, quia non modò non cognoscitur per aliud, quod sit complexum, sicut est Propositio, & omnes concedunt; sed neque per aliud, quod sit incomplexum, vt non satis consonè aliqui arbitrantur; non quia non exigatur cognitio, & præcognitio simplex terminorum, sed quia illi termini non sunt aliud extrinsecum à Propositione, sed potiùs sunt ipsi intrinsecum. Vnde sicut qui cognoscit hominem, cognitis corpore, & anima ipsius, non dicitur cognoscere per aliud extrinsecum homini, sed potiùs per intrinsecum; ita qui cognoscit propositionem ex terminis, non dicitur cognoscere per aliquid Propositioni extrinsecum, sed per terminos ipsi intrinsecos. Propositio ergo cum S. Bonau. vbi supra per se nota, seu manifesta dicitur, quia talis est ex natura sua, vt per se sine alia probatione, cognitis terminis, clarè percipiatur. Vndè manifestatio saltem ex consequenti dicit respectum ad id, cui manifesta est. D. Bon. Vtinen. vbi sup. S. Bon.

4 Duplex autem consueuit Propositio manifesta assignari ex S. Bonau. in 2. dist. 39. art. 1. quæst. 2. cui concors est S. Thomas. Alia, quæ facillimè etiam ab indoctis percipitur; eo quia termini sint magis sensibiles; cuiusmodi sunt, *Totum est maius sua parte*, & aliæ id genus. Alia, quæ non nisi studio, & exercitatione acquiritur; eò quia termini sint magis occulti; vt, *Homo est animal*, &c. S. Bon. S. Tho.

Hinc libet colligere, quomodo

do differat hæc à demonstratiua. Nam demonstratiua formaliter est illa, quæ non habet superius, per quod probetur. Per se nota autem potest habere superius; vt patet in hac, *Homo est animal*: nam cognitis quid sit *Homo*, quidue *Animal*, statim intellectus dat assensum, hominem esse animal. Nihilominus, si negetur, potest demonstrari à priori. In quo, meo iudicio, hallucinatus est Antonius Ruuio libro primo Posterior. cap. secundo quæstione secunda non aduertens, quomodo sit demonstrabilis à priori hæc propositio, *Homo est animal*: nam illud prædicatum, *Animal* habet superius, & causam, per quam probetur, quam tamen ex D. Thoma tanquam per se notam admittit.

Ruu.

5 Quæres, an intellectus possit negare propositionem per se notam? vide Tolet. quęst. vltima Dialecticę ad secundum. interim

Tolet.

Respondeo ex Diuo Bonauentura vbi supra, dupliciter contingere loqui de intellectu: Aut de eo, qui habet notitiam terminorum Propositionis per se notæ: Aut de eo, qui non habet. Rursum ex eodem, negare Propositionem per se notam est dupliciter: Aut cum assensu ipsius intellectus negantis: Aut sine assensu. Si loquamur de intellectu primo modo: planè contingit negare propositionem per se notam etiam cum assensu; Si de intellectu secundo modo, nunquam contingit, intellectum negare propositionem cum assensu; quia inuoluit contradictionem, intellectum habere notitiam terminorum, & negare sic, vt credat, propositionem illam non esse veram. Facilius tamen est, negare propositiones per se notas secundi generis, idest, quæ non nisi exercitio intelliguntur; vt, *Homo est animal*, quàm primi generis omnibus, ac singulis notas; vt, *Totum est maius sua parte*. Quòd si hæc negetur, aliquando non aliter probanda erit, quàm explicando terminos: si verò illa; probari poterit à priori; verbi gratia si negetur hæc, *Homo est animal*, sic poterit probari, *Homo est sensibilis, ergo est animal.*

S. Bon.

6 Quòd si obiicias; ea, quæ sunt per se manifesta, iuxta commune adagium, haud esse probare necesse.

Respondeo, verum esse, quando is, cum quo disputatur, habet notitiam terminorum; tunc enim sine alia probatione apud ipsum erit nota sic, vt ei non sit opus alia ratione probare: sed plerunquè

E multi

multi ignorant terminos propositionis per se notæ, idcirco eam negant: Et istis est probanda aut à priori (si fieri potest) aut explicando naturam terminorum. Verùm quia (vt dictum est) aliqua est propositio per se nota sic, vt eius terminos omnes fermè cognoscant: ideo contra negantes huiusmodi propositiones non est argumentandum; benè autem contra negantes aliàs alterius generis; eo quia sunt cognitu difficiliores ratione terminorum.

# TRACTATVS SEXTVS.

## DE MVLTIPLICI SPECIE DISCVRSVS,

*IN HOC TRACTATV VIDEBIMVS.*

*ma, & vltima specie discursus.*

12 *De fallacijs, quæ discursum vitiatum reddere possunt.*

## Quid sit formaliter discursus.

### Cap. I.

QVemadmodum Natura ex materia, & forma vnumquodq; ens naturale in esse perfecto, & absoluto constituit; ita & Ars ad eius imitationem ex materia, & forma construit artificiata. Quapropter, cùm de propositionibus, & alijs, quæ sunt veluti materia discursus, hucusquè sermonem habuerimus, naturalis ordo requirit, vt ea, quę ad formam discursus pertinent, eò dilucidiùs, & clariùs exponamus, quò maior vis in forma, quàm in materia consistit. Superest igitur, vt modum doceamus, regulasque proponamus, quibus perfectus discursus conficitur. Sed ne ad posteriora inordinatè procedamus, breuiter præmittenda est aliqualis discursus descriptio. Potest ergo discursus in communi tali descriptione declarari.

2 *Discursus est quadam Oratio ita in se ordinata, vt per ipsam, & ipsius vi vnum ex alio deducatur*: Idest Discursus Logicus, de quo in præsenti est sermo, nihil aliud est, quàm quędam propositionum dispositio tali arte digesta, vt vnum ex alio colligatur, verbi gratia.

*Hæreticus est impius*
*Ergo est inimicus Christi.*

Hęc enim conclusio ex eo deducitur, quòd habet quandam connexionem cum propositione antecedenti.

Et aduertendum est diligenter, in omni discursu Dialectico requiri semper duas propositiones, seu præmissas, quæ sint veluti causa, & fons, à quo emanat conclusio; vel implicitè, vt in discursu iam allato, vel explicitè; vt si dicatur.

*Omnis impius est inimicus Christi.*
*Omnis hæreticus est impius,*
*Ergo omnis hæreticus est inimicus Christi.*

3 Exinde sequitur aliud vnum maximè notandum videlicet, aliud esse id quod deducitur; & aliud id, ex quo deducitur; sicut aliud est effectus, qui producitur; & aliud causa, à qua producitur; cuius defectu hic non est verus discursus.

*Omnis homo est animal.*
*Sed omne rationale est animal.*
*Ergo omnis homo est animal.*

Siquidem eadem est conclusio cum maiori propositione.

Vlteriùs sciendum, conclusionem educendam esse ex vi præmissarum. Vndè non valet.

*Omnis hæreticus est inimicus Christi*
*Omnis lutheranus est hæreticus*
*Ergo omnis lutheranus perturbat Ecclesiam.*

Hæc enim conclusio non deducitur ex præmissis; cùm nulla sit inter præmissas, & conclusionem connexio, aut conuentio. Et hæc breuiter de discursu in communi, quæ clariùs, & fusiùs infra declarabuntur.

## De multiplici specie Dialectici discursus; & de prima specie, nempè de Syllogismo.

### Cap. II.

NOmen discursus tam latè patet, vt complectatur omnem differendi modum Dialecticis regulis designatum; siue sit perfectus, siue imperfectus; probabilis, siue demonstratiuus; à causa, siue ab effectu; à signo, siue à coniectura; atque adeò omnem argumentationem, seu discursum ab Aristotele, & ab aliis inuentum: Qui quidem discursus ad has quatuor species, scilicet Syllogismum, Enthymema, Inductionem, & Exemplum principaliter reducitur, de quibus omnibus singillatim erit agendum.

Sed primò de Syllogismo, & de iis, quæ ad ipsum pertinent; qui ab Aristotele definitur his verbis; *Syllogismus est Oratio, in qua quibusdam positis aliud quid ab his ex necessitate accidit, eo quòd hæc sint*: idest, Syllogismus est oratio duabus propositionibus constans ita inuicem ordinatis, vt alia tertia, quæ appellatur conclusio, necessariò inde colligatur, vt, *Arist.*

*Nullũ finitum est vbique.*
*Corpus Christi est finitum.*
*Ergo Corpus Christi non est vbique.*

2 Duplex autem apud Dialecticos reperitur Syllogismorum genus. Aliud eorum, quos perfectos vocant. Aliud eorũ, qui sibi ex ineuidentia nomen imperfecti asciscunt. Syllogismus perfectus est, quan-

quando ex prҽmissis colligitur conclusio, quam ex eis colligi posse, intellectui Dialecticis institutionibus prædito clarum est, & apertum; vt

*Omnе animal est viuens*
*Omnis homo est animal*
*Ergo omnis homo est viuẽs.*

Imperfectus autem est ille, qui non colligit euidentem conclusionem, sed requirit aliquam mutationem factam in terminis, ad hoc vt clara, & aperta deducatur conclusio; vt si dicatur in exemplo iam allato.

*Omne animal est viuens*
*Omnis homo est animal*
*Ergo aliquod viuens est homo.*

3 Hҽc est quidem bona illatio, & ex præmissis rectè ordinatis deducta; non est tamen ita euidens intellectui, vt ex illis præmissis deducatur; cùm potius alia deberet colligi, videlicet,

*Omnis homo est viuens*

Fundatur autem huius imperfecti syllogismi veritas in regula supra allata de modo conuertendi propositiones; vbi traditum est, vniuersalem affirmatiuam posse sine vlla erroris suspicione in particularem itidem affirmatiuam conuerti: Vnde si bona est hæc.

*Omnis homo est viuens.*

bona erit etiam eius conuersa, scilicet,

*Aliquod viuens est homo.*

4 Syllogismus iterum tam perfectus, quàm imperfectus alius est Topicus, seu contingens; alius Demonstratiuus. Topicus ille est, qui ex probabilibus procedens probabilem colligit conclusionem; vt,

*Omnis studiosus est honoratus.*
*Aliquis homo est studiosus.*
*Ergo aliquis homo est honoratus.*

Demonstratiuus autem est, qui ex indemonstrabilibus indemonstrabilem infert conclusionem; vt,

*Omne rationale est risibile*
*Omnis homo est rationalis*
*Ergo omnis homo est risibilis.*

Possumus etiam adiungere tertium genus medio modo incedens; vt sit illud, quod ex necessarijs quidem, non tamen primis, & indemonstrabilibus conclusionem necessariam inferat, & infallibilem; & dicetur syllogismus necessarius; vt

*Omne animal est corpus*
*Omnis homo est animal*
*Ergo omnis homo est corpus.*

5 Ex his autem docemur. Primò artem Dialecticam procedere scientificè, cùm ex præmissis veniat in necessariam conclusionis cognitionem, quæ est effectus.

Secundò docemur, duo necessariò requiri ad perfectum syllogismum conficiendum: primò nanque requiritur recta dispositio propositionum; vt scilicet ponatur vniuersalis, quę esse debet vniuersalis; particularis verò, quæ particularis; negatiua itidē, quę negatiua, &c. q̄ dispositio propriovocabulo appellatur forma, seu modus Syllogisticus: Secundò exigitur apta distributio termini; vt scilicet ponatur terminus in maiori, & minori propositione eo modo, quo conuenit, de quo capite sequenti: quæ distributio appellatur figura Syllogistica: ita vt quilibet Syllogismus ex materia, & forma constituatur. Materia remota sunt termini propositionum; proxima verò sunt ipsæ propositiones: forma denique apta terminorum, & propositionum distributio.

## De varijs figuris Syllogismorum.

### Cap. III.

CVm ex proximè dictis figura Syllogistica nil aliud sit, quàm recta terminorum, subiecti, & prædicati dispositio; ita vt ordine debito constituantur; Triplex inuenitur figura, secundùm quod tribus modis possunt termini ad bonam conclusionem deducendam aptè disponi.

Primò nanque medius terminus, qui est id, quod assumimus ad probandum, quod probare intendimus, potest poni pro subiecto in maiori propositione, & pro prædicato in minori; & tunc consurgit prima figura, verbi gratia ad probandum hanc conclusionem, *Deum scilicet esse ab hominibus amandum*, assumo hoc medium, *quia est bonus*; & sic conficio argumentum.

*Omnis bonus est amandus.*
*Deus est bonus.*
*Ergo Deus est amandus.*

In quo Syllogismo bis ponitur medius terminus; in prima propositione pro subiecto, cum dico, *Omnis bonus*; in secunda verò pro prædicato, cum dico, *est bonus*.

2 Potest iterum medius terminus distribui, ita vt & in maiori, & in minori propositione sit prædicatum; & tunc habetur secunda figura; vt si probare velim hanc conclusionem contra impium Lutherum, *Nullum scilicet Papistam esse hæreticum*, adhibeo hoc medium, *quòd videlicet credat Ecclesiæ*; sic,

*Nullus hæreticus credit Ecclesiæ.*
*Omnis Papista credit Ecclesiæ.*
*Ergo nullus Papista est hæreticus.*

In quo Syllogismo medius termi-

terminus in maiori, & in minori propositione ponitur pro prędicato; vt clarè patet.

3 Potest etiam aliter distribui medius terminus, & poni vice versa, pro subiecto scilicet & in maiori, & in minori propositione; ex qua distributione oritur tertia figura. Verb. gr. ad probandum, *aliquod animal esse viuens*, assumo hoc medium, *quòd scilicet sit vegetabile*; sic.

*Omne vegetabile est viuens.*
*Aliquod vegetabile est animal.*
*Ergo aliquod animal est viuens.*

In quo Syllogismo tam in prima, quàm in secunda propositione medius terminus constituitur pro subiecto.

Quarta autē distributio, in qua videtur posse poni medius terminus pro prædicato in maiori, & pro subiecto in minori, quia communiter ab omnibus exploditur, à nobis quoque reijcitur, & improbatur.

## De modis Figurarum ad rectum Syllogismum conficiendum.

## Cap. IV.

Modus figurę solet ita à Dialecticis describi, vt sit *recta propositionum dispositio tàm quò ad ordinem, quàm quò ad quantitatem*: Vt scilicet & ordo seruetur in primitate, ponendo primo loco, quæ primo ponenda est, secundo, quæ secundo: & quantitas in vniuersalitate, vel particularitate, vniuersaliter, vel particulariter pronunciando, quę vniuersalis, vel particularis est.

2 Aduertendum est autem primò, diuersos modos cuilibet assignari figuræ, ad quos necesse est, omne argumentationis genus ad Dialecticum spectans reduci; adeò, vt nullus possit esse verus discursus, qui sub vno horum Modorum non compræhendatur. Qui, vt faciliùs memoria teneantur, his quatuor versibus continentur, & explicantur.

*Barbara, Celarent, Darij, Ferio, Baralipton*
*Celantes, Dabitis, Fapesmo, Frisesomorum*
*Cesare, Camestres, Festino, Baroco, Darapti,*
*Felapton, Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison.*

Modi primæ Figurę sunt nouē, videlicet;

*Barbara, Celarent, Darij, Ferio, Baralipton*
*Celantes, Dabitis, Fapesmo, Frisesomorum.*

Modi secundæ Figurę sunt quatuor, videlicet,

*Cesare, Camestres, Festino, Baroco.*

Modi tertiæ Figuræ sunt sex, videlicet.

*Darapti, Felapton, Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison.*

3 Aduertendum secundò, inter hos modos, quatuor tantùm primę figurę dici perfectos, quia inferunt conclusionem euidentem: reliquos verò omnes tam primæ, quàm secundæ, ac tertiæ figuræ dici imperfęctos, quia inferunt conclusionem ineuidentem. Possunt tamen etiã ipsi dici perfecti lato modo, quatenus scilicet rectè concludunt; licèt non ita clarè, & euidenter, sicut quatuor primi primæ figuræ. Non immoror autem in tradendis regulis, quibus Syllogismos imperfectos ad perfectos reuocari posse nimis prolixè à Dialecticis edocetur; cum vanum sit, & incongruum, efficere Syllogismos imperfectos; vt deinde ad perfectos redigantur, eo vel maximè, quòd omnes primò perfectos fieri posse, certissimum est; vndè propterea Dialectici, missis imperfectis, se totos in construdione perfectorum exercere debent.

4 Aduertendum tertiò, ad horum cognitionẽ Modorum tres tantùm syllabas primas in vnoquoque verbo, seu modo respiciendas esse; nam quæ supersunt, accommodationi potiùs carminum, quàm Dialecticæ instructioni faciunt.

Aduertendum quartò, in vnaquaque syllaba reperiri vnam ex his quatuor vocalibus,

A, E, I, O

quæ denotant quantitatem propositionum; ita vt,

A, sit pro vniuersali affirmatiua.

E, pro vniuersali negatiua,

I, pro particulari affirmatiua,

O, pro particulari negatiua,

Sicut autem quantitas, sic & ordo propositionum seruari debet; ita vt, si in prima syllaba alicuius modi prima vocalis sit, A, vel E; prima propositio assumenda, fuerit vniuersalis: si autem sit, O, vel I, particularis; & sic de reliquis, vt videre est in exemplis, quæ pro cuiusque modi claritate hic subijciuntur.

Perfecti 5 Exempla Modorum primæ Figuræ sunt hæc:

| | | |
|---|---|---|
| 1.Modus | Bar | *Omnis hæreticus displicet Deo* |
| | ba. | *Omnis Anabaptista est hæreticus.* |
| | ra. | *Ergo omnis Anabaptista displicet Deo.* |
| 2.Modus | Ce- | *Nullus hæreticus placet Deo* |
| | la- | *Omnis Arianus est hæreticus* |
| | rent. | *Ergo nullus Arianus placet Deo.* |
| 3.Modus | Da- | *Omnis hæreticus perturbat pacem* |
| | ri- | *Aliquis Nicolaita est hæreticus* |
| | i. | *Ergo aliquis Nicolaita perturbat pacem* |
| 4.Modus | Fe- | *Nullus hæreticus amat pacem* |
| | ri- | *Aliquis Pelagianus est hæreticus* |
| | o. | *Ergo aliquis Pelagianus non amat pacem* |

Imperfecti.

| | | |
|---|---|---|
| 1.Modus | Ba- | *Omnis hæreticus est impius* |
| | ra- | *Omnis Donatista est hæreticus* |
| | lip. | *Ergo aliquis impius est Donatista.* |
| 2.Modus | Ce- | *Nullus hæreticus est amicus Dei* |
| | lan- | *Omnis Manichæus est hæreticus* |
| | tes. | *Ergo nullus amicus Dei est Manichæus.* |
| 3.Modus | Da- | *Omnis hæreticus est peruersus* |
| | bi- | *Aliquis Caluinista est hæreticus* |
| | tis. | *Ergo aliquis peruersus est Caluinista.* |
| 4.Modus | Fa- | *Omnis hæreticus corrumpit scripturam* |
| | pes- | *Nullus verus Christianus est hæreticus* |
| | mo. | *Ergo aliquis corrumpens Script. non est verus Christianus.* |
| 5.Modus | Fri- | *Aliquis hæreticus dilacerat Ecclesiam* |
| | se- | *Nullus Catholicus est hæreticus* |
| | som. | *Ergo aliquis dilacerans Eccl. nõ est Catholic.* |

Exem-

*Imperfecti.* 6 Exempla Modorum secundæ Figuræ sunt hæc:

1. Modus Ce-sa-re. { *Nullus hæreticus viuit Deo. / Omnis Sanctus viuit Deo, / Ergo nullus Sanctus est hæreticus.* }

2. Modus Ca-mes-tres. { *Omnis hæreticus est malus. / Nullus amicus Dei est malus. / Ergo nullus amicus Dei est hæreticus.* }

3. Modus Fes-ti-no. { *Nullus hæreticus intrabit Cælum / Aliquis homo intrabit Cælum / Ergo aliquis homo non est hæreticus.* }

4. Modus Ba-ro-co. { *Omnis hæreticus est filius Diaboli / Aliquis Christianus non est filius Diaboli. / Ergo aliquis Christianus non est hæreticus.* }

7 Exempla Modorum tertiæ Figuræ sunt hæc.

*Imperfecti*

1. Modus Da-rap-ti { *Omnis hæreticus est iniquus / Omnis hæreticus est homo / Ergo aliquis homo est iniquus.* }

2. Mndus Fe-lap-ton. { *Nullus hæreticus credit Deo / Omnis hæreticus est homo / Ergo quidam homo non credit Deo.* }

3. Modus Di-sa-mis. { *Aliquis hæreticus est Lutheranus / Omnis hæreticus est homo / Ergo aliquis homo est Lutheranus.* }

4. Modus Da-ti-si. { *Omnis hæreticus est homo / Aliquis hæreticus est Euthichianus / Ergo aliquis Euthichianus est homo.* }

5. Modus Bo-car-do. { *Aliquis hæreticus non est Catholicus / Omnis hæreticus est homo / Ergo aliquis homo non est Catholicus* }

Fe-

6.Modus Fe-ri-son. { *Nullus hæreticus credit Ecclesiæ.*
*Aliquis hæreticus est Valentinianus*
*Ergo aliquis Valentinianus non credit Eccl.* }

8 Aduertendum quintò, quod crebrò etiam aduertimus, vsum communem syllogizandi, tàm in Scholis, quàm in Libris iam obtinuisse, vt non seruentur hi modi explicitè: sed id parùm refert, dummodo modus, & figura semper seruetur implicitè. Explicitè est, si ponãtur propositiones omnes cum debita quãtitate; vt

*Omne animal est sentiens.*
*Omnis homo est animal*
*Ergo omnis homo est sentiens.*

Implicitè autem esset, si adducantur propositiones sine quantitate; vt,

*Animal est sentiens*
*Homo est animal*
*Ergo est sentiens.*

Immò Doctorum mos esse solet, vt tantùm medium terminum adducant; quia data ratione facillimum est ad modum, & figuram reducere syllogismum. Vt si quis velit probare contra Pelag. non posse hominem viribus naturæ Beatitudinem consequi, hanc tantùm rationem assignabit, quia non potest sine charitate, quæ est donum supernaturale, Dei mandata custodire; qua ratione assignata, sic poterit construi argumentum.

*Nullus potest consequi Beatitudinem, qui Dei mandata non custodit*
*Sed nullus potest viribus naturæ Dei mandata custodire*
*Ergo nullus potest viribus naturæ consequi Beatitudinem.*

## De regulis ad bonum Syllogismum à falso dignoscendum.

## Cap. V.

OMnes regulæ, quę traduntur, & tradi possunt ad bonum Syllogismum à falso dignoscendum, ad hanc vnicam reduci possunt; quòd scilicet omnis Syllogismus in aliqua trium figurarum, ac in vno assignatorum modo esse debet. Per quam regulam breuiter expedimur ab his, quæ prolixè à Dialecticis in medium adducuntur. Vndè, vt cognoscamus, num aliquod argumentum rectè concludat, respiciendum est, an sit in aliqua figura, & modo Syllogistico, nec ne: quòd si non fuerit, cauillosa vtique, & sophistica erit argumentatio, non Dialectica institutio.

Si quis autem regulas magis particulares requirat, has communi-

muniter tradi sciat.

2 Prima est, ex puris particularibus nihil rectè concludi vi formæ; licèt possit concludi vi materię: idest, nihil concluditur ratione illius formę Syllogisticæ, sed concluditur ratione tantùm vnionis subiecti cum prædicato. Verbi gratia

*Aliquod animal est viuens*
*Aliquis homo est animal*
*Ergo aliquis homo est viuēs*

Hoc argumentum concludit quidem benę ratione materię, in quantùm propter necessariam connexionem prædicati cum subiecto in vtraque propositione deducitur vera conclusio: non concludit tamen ratione formæ, hoc est, ratione dispositionis propositionum; quoniā præmissæ non sunt causa veræ conclusionis; cuius signum est, quòd multi syllogismi huiusmodi falsè concludunt, vt iste,

*Aliqua substantia est lapis*
*Aliquis homo est substantia*
*Ergo aliquis homo est lapis.*

3 Secunda est, ex puris negatiuis nihil concludi. Verbi gratia.

*Nullus homo est planta*
*Nullum irrationale est homo*
*Ergo nullum irrationale est planta,*

Ambæ propositiones, seu pręmissę sunt verę; conclusio tamen falsa.

Tertia est: conclusio debet sequi debiliorem partem: vt si aliqua propositionum est particularis, vel negatiua; conclusio quoque erit particularis, aut negatiua. S. Bonau. in 1. dist. 14. art. 1. quæst. 1. ad vlt. verbi gratia. D.Bon.

*Omne animal est viuens*
*Aliquis homo est animal*
*Ergo aliquis homo est viuens.*

&

*Nullum animal est lapis*
*Aliquod viuens est animal*
*Ergo aliquod viuens non est lapis.*

4 Quarta est; medius terminus nunquam debet poni in cōclusione; semper tamen in vtraque propositione modo supra assignato.

Pręter has regulas, quæ sunt omnibus figuris communes, habet vnaquæque suas particulares; &c.

Quò ad primam figuram: Ex maiori particulari nil concluditur, sicut neque ex minori negatiua in modis perfectis. verbi gratia,

*Aliquod viuens est corpus*
*Nullum inanimatum est viuens*
*Ergo aliquod inanimatum non est corpus*

Vtraq. propositio vera est, & tamen conclusio falsa; vt patet.

Quò ad secūdam: Ex puris affirmatiuis nihil rectè concluditur, sicut nec ex maiori particulari. verbi gratia.

*Omne animal est viuens*

*Omnis*

*Omnis homo est viuens;*
*Ergo aliquod animal est homo*
&
*Aliquod viuens est animal*
*Omnis homo est animal*
*Ergo aliquod viuēs est homo.*

Quò ad tertiam denique: Ex minori negatiua nihil fit; verbi gratia.

*Omne animal est substantia*
*Aliquod animal non est rationale*
*Ergo aliqua substantia non est rationalis.*

## Vnde oriatur veritas huius Syllogistici discursus.

## Cap. VI.

CVm omnis veritas alicui nitatur fundamento; credendum non est, veritatem Syllogistici huius discursus super nihil fundatam esse, eo vel maximè quod omnis scientifica veritas ab argumentatione Dialectica, & præcipuè à Syllogistico discursu ortum ducit, & originem. Duplici igitur fundamento totam Dialecticæ argumentationis veritatem inniti, Prisci tradiderunt Dialectici.

Alterum est. *Dictum de omni*
Alterum est. *Dictum de nullo*

2 Dici de omni est, prædicatum ita conuenire subiecto, vt conueniat etiam omni sub illo subiecto contento, verbi gratia.

Hoc subiectum
*Homo*
continet sub se hæc
*Petrus*
*Paulus*
*Franciscus*, &c.

Quicquid igitur prædicatur de *Homine*, prædicabitur etiam de *Petro*, de *Paulo*, de *Francisco*: itaque,

Si vera est hæc prædicatio
*Homo est substantia*
Verificabuntur & hæ;
*Petrus est substantia*
*Paulus est substantia*
*Franciscus est substantia*

Ratio est; quia; omnia illa sub illo subiecto, *Homo*, continentur; & ideo si substantia verè prædicatur de *Homine*, verè etiam prædicabitur de *Petro*, de *Paulo*, de *Francisco*, & de omnibus sub illo subiecto contentis. Atquè hinc deducta est hæc regula

*Quicquid dicitur de omni, dicitur & de omni contento sub illo.*

Et si totum argumentum conficere velimus, dicemus sic.

*Omnis homo est substantia*
*Petrus, Paulus, & Franciscus est homo,*
*Ergo Petrus, & Paulus, & Franciscus est substantia*

3 Dici verò de nullo opposito modo se habet; quando scilicet predicatum ita aufertur à subiecto, vt auferatur etiam ab omni, quod continetur sub eodem

dem

dem subiecto. Verbi gratia.

Hoc subiectum

*Animal*

continet sub se hęc

*Leo*

*Bos*

*Lupus*, &c.

Quicquid igitur prędicatur negatiuè de *Animali*, prædicabitur etiam eodem modo de *Leone*, de *Boue*, & de *Lupo*: Itaq.

Si vera est hæc prædicatio,

*Animal non est accidens*;

Verificabuntur & hæ

*Leo non est accidens*,

*Bos non est accidens*,

*Lupus non est accidens*.

3 Ratio est; quia omnia illa includuntur sub illo subiecto *Animal*: & ideò si accidens non potest prædicari de *Animali*; verè prædicari non poterit nec de *Leone*, nec de *Boue*, nec de *Lupo*, nec tandem de omni contento sub illo. Atque hinc deducta est hęc regula;

*Quicquid negatur de omni, negatur & de omni contento sub illo*.

Et si totum argumentum conficere velimus, dicemus sic,

*Nullum Animal est accidens*

*Leo, Bos, Lupus est animal*:

*Ergo Leo, Bos, Lupus non est accidens*.

4 His ergo duobus dictis tota vis argumentationis, ac syllogistici discursus innititur. Aduerte autē, quando diximus, aliquid affirmari, vel negari de aliquo, eo quia sub aliquo subiecto contineatur; non debere contineri sub illo, sicut cōtinetur pars integralis sub toto integrali, sed debere contineri tanquam inferius sub superiori, & tanquam particulare sub vniuersali, ad hoc, vt de eo aliquid verè affirmari, vel negari possit. Addunt aliqui, & benè, pro integro fundamento duo alia dicta huiusmodi. *De quocunque prædicatur inferius, & superius*: *Et de quocunque negatur inferius*, & *superius*; quorum sensus ex dictis hoc Capite per se patet. Vide Seraphicum in 3. d. 11. art. 2. quæst. 1. ad 4. S. Bon.

## De secunda specie Dialectici discursus, nempè de Enthymemate.

### Cap. VII.

Secunda species discursus est *Enthymema*; & dicitur illud, in quo ex vna tantùm propositione colligitur conclusio; ita vt ex duabus tantùm propositionibus constet. Quocirca potest meritò appellari syllogismus breuiatus, & est maximè in vsu apud Doctores.

Aduerte autem primo, Enthymema, licèt duas tantùm habeat propositiones, virtualiter tamen, & implicitè continere aliam tertiam, vt patet in hoc

hoc exemplo. Si enim dicatur.

*Arius est hereticus;*

*Ergo est peruersus.*

necessariò continebit hanc maiorẽ propositionem implicitã, *Omnis hæreticus est peruersus*,

2 Aduerte secundò, tria reperiri in vnoquoque Enthymemate. Primum est illa propositio, ex qua deducitur alia, & dicitur communiter Antecedẽs. Secundum est cõclusio, quæ colligitur, & appellatur Consequẽs. Tertium est ipsa consecutio, & illatio deducta; & vocatur Consequentia; vt iã patebit.

3 Aduerte tertiò, Antecedens quidem posse vel concedi, vel negari, vel distingui, secundum quòd illius veritas, aut falsitas requirit: Consequens verò nunquam negari, sed potius Consequentiam; nunquam enim dicitur nego Consequens, sed Consequentiam, idest hoc sequi ex illo, quia ex Antecedenti non rectè colligatur Consequens. v. g.

*Homo est doctus.*

*Ergo viuit,*

Neganda erit consequentia, non autem consequens: Non enim ex eo, quòd aliquis sit doctus, formaliter sequitur, quòd viuat, cùm & indocti vitam habeant. Poterit tamen bene cõsequens distingui, si non sit concedendum, v. g

*Christus est infinitus:*

*Ergo est vbique,*

Antecedens est certum: Consequentia etiam negari non potest; benè enim sequitur ex infinitate alicuius, esse vbique, quod ad veritatem consequentiæ sic necessariò requiritur, vt sufficiat. Distinguendum ergo est consequens sic; Christus est vbique ea ratione, qua est infinitus, scilicet quatenus est Deus; non autem ea ratione, qua est finitus, videlicet, vt est homo.

## De tertia specie Dialectici discursus, nempè Inductione.

## Cap. VIII.

Tertia species discursus dicitur *Inductio*; & est, quando ad probandum aliquam propositionem vniuersalem plura singularia adducimus, vt id, quod verum, vel falsum in pluribus singularibus reperimus, idem de omnibus in vniuersali concludamus; verb. gr. ad probandum, omnem hæreticum esse membrum Diaboli, sic conficio argumentum.

*Arius, & Pelagius, & Manichæus, &c. sunt membra Diaboli.*

Tum vniuersaliter de omnibus sic concludo,

*Ergo omnis hæreticus est membrum Diaboli.*

Aduer-

2 Aduertendum est autem Primò, ad aliquam vniuersalem propositionem probandam ex Inductione non esse omnia singularia, vel singula necessariò adducenda; sed sufficere, si ex eo, quod in maiori parte, vel vt plurimùm reperimus in ipsis singularibus, vniuersaliter concludamus; quia (vt vult Philosophus) quod videtur vt plurimùm, & in maiori parte, est naturale, & per se competit rebus.

3 Aduertendum Secundò, Inductionem posse fieri tam de Indiuiduis respectu Speciei, quàm de Speciebus respectu Generis;

Vt ---- *Petrus, & Paulus, & cæteri homines sunt animal.*

Tum concluditur sic,

*Ergo omnis species hominis*, vel *omnis homo est animal.*

Vel ---- *Homo, Leo, Asinus, & reliqua animalia sentiunt.*

Tum infertur sic,

*Ergo omne genus animalium*, vel, *omne animal sentit*

4 Aduertendum Tertiò, parùm referre, si fiat Inductio vel copulatiuè, vt vocant; vel copulatè. Copulatiuè dicitur, quãdo vnicuique singulari apponitur prædicatum, & copula. Copulatè verò, quando enumeratis omnibus, vel pluribus indiuiduis, semel tantùm in fine additur prædicatum;

Vt ---- *Petrus est animal, & Paulus est animal, & Iacobus est animal:*

Vel ---- *Petrus, Paulus, Iacobus est animal.*

*Ergo omnis homo est animal.*

## De quarta specie Dialectici discursus, nempè de Exemplo.

### Cap. IX.

QVarta species discursus dicitur *Exemplum*, & est, quando ex eo, quod alicui particulari accidisse videmus, concludimus, id euenturum omni alii, qui eiusdem vestigia sectetur; vt

*Arius, quia vestem Christi dilacerauit, interiora effudit.*

*Ergo, qui Christi Ecclesiam dilacerabit, supplicio punietur.*

Quo genere argumentationis maximè vti consuetum est in rebus moralibus, & practicis ad ad hoc, vt aliquem ab aliquo malo retrahamus, vel ad aliquod bonum inducamus: nam exempla magis mouent, quàm verba.

De

## De alijs quibusdam discursus, seu argumentorum speciebus.

### Cap. X.

PRæter quatuor enumeratas discursus, seu argumentorum species, quarum vsus in Scholis præcipuus est, & vsitatior; possumus & alias adiungere, quarum

Prima est, quam vocant, *à proportione*; quando videlicet ex proportione, & similitudine, quam aliqua habent ad inuicem, id quod de vno affirmatur, idem & de altero proportionaliter enunciatur: modusque hanc argumentationem construendi talis est.

*Sicut se habet materia artificialium ad artificialia; ita se habet materia naturaliũ ad naturalia.*

*Sed materia artificialium in ordine ad artificialia est in pura potentia:*

*Ergo à proportione materia naturalium in ordine ad entia naturalia erit in pura potentia.*

Potest autem argumentum vice versa conuerti, sic.

*Sicut se habet materia artificialium ad artificialia, ita naturalium ad naturalia*

*Ergo vice versa, seu quod idē est, à mutata proportione; sicut se habet materia naturalium ad naturalia, ita artificialium ad artificialia, &c.*

Atque in hoc argumentationis genere maximè respicienda est proportio, vt inde sequatur veritas conclusionis deducendę; quæ si non adsit, neganda est. Si verò respectu alicuius sit proportio, & respectu alterius non; distinguenda est, ne ex ignorantia proportionis in errorem dilabamur. Quoniam verò duplex est proportio: vnius ad vnũ, & duorum ad duo, in vtrisq; poterit argumētum rectè cōponi.

2 Secunda est, quam D. Bonauentura 4. sent. dist. 18. art. 1. quæst 1. par. 2. & alii vocant, *Per impossibile*; quando scilicet argumentatio intenditur, & dirigitur ad aliquod impossibile, & absurdum deducendum: quo genere argumentationis vtimur contra eos, qui rationi ostensiuæ acquiescere nolunt. Vt si probare velim, verbi gratia, hæreticum non posse placere Deo, sic faciam, S. Bon.

*Si hoc esset verum, sequeretur, Deum esse mendacem,*

*Sed hoc est absurdum, & impossibile:*

*Ergo impossibile est, illud esse verum*

Quòd si ex vno aliud verè sequatur, id nempè, quod sequi

F enun-

enunciatur, concedenda est illa sequela, sicut in argumento iam indicato. Si verò inde non sequatur id, quod sequi pronunciatur, neganda est; vt in hoc,

*Si homo est animal, sequitur, ipsum currere*

non enim ex eo, quòd homo sit animal, sequitur, ipsum currere: vnum enim, idest cursus non sequitur ad aliud, idest animal.

Ex hoc colligi potest, in quo discrepet hoc argumentationis genus ab iis, quę supra posita sunt. Nam illa, quæ capitibus præcedentibus attulimus, per ostensionem probant immediatè, & ostendunt id, quod probare intendunt: ideoque dicuntur argumenta ostensiua. Hæc verò non immediatè, & euidenter probant conclusionem intentam, sed priùs ducunt ad aliquod inconueniens; vt exinde ad negatam veritatem concedendam perducant. Id quod innuere voluit Diuus Bonauentura indicata quæstione ad tertium his verbis, *Ille, qui syllogizat per impossibile, deducit ad impossibile, non vt ibi fistat, sed vt ad veritatem redeat.*

3 Tertia est eorum, quæ communi vocabulo appellantur Argumenta hypothetica, seu conditionata, eo quòd in eis assumitur aliqua ex his tribus conditionibus, *Si, Et, Aut.*

Quando assumitur dictio, *Si*, argumentum dicitur conditionale, quia concludit ex suppositione facta: vt,

*Si Deus est iustus, impium damnabit;*
*Sed Deus est iustus,*
*Ergo impium damnabit;*

Ad huius argumenti veritatem sufficit, vt conclusio sequatur ex facta suppositione, & conditione; licèt fortasse suppositio esset falsa: vt in hoc,

*Si lapis est animal, lapis viuit*
*Sed lapis est animal*
*Ergo lapis viuit*

hoc argumentum verè concludit ex facta suppositione; at suppositio falsa est; lapis enim non est animal;

Quando media vocula, *Et*, adhibetur, argumentum dicitur copulatiuum; vt

*Non potest aliquis seruire Deo, & Mammona*
*Sed auarus seruit Mãmona*
*Ergo auarus non potest seruire Deo*

Quando tandem assumitur vltima dictio, *Aut*, argumentum dicitur disiunctiuum; vt,

*Aut Deus est iniustus; aut hereticus damnabitur;*
*Sed Deus est iustus;*
*Ergo hereticus dãnabitur.*

Hoc argumenti genus appellari solet argumentum cornutum,

tum, eo quòd ad stringendum adversarium magnā vim habet; vt si quis sic instet,

*Aut est aliquid, aut est nihil;*
*Si aliquid, aut substantia, aut accidens, &c.*

vt sic via claudatur aduersario ad fugiēdam argumentationem.

4 Quarta est ea, in qua ex pluribus propositionibus subsequenter allatis, infertur tandem optata conclusio;& dicitur hoc argumentum *Sorites*, seu, *Aceruale*; quia multas propositiones coaceruat; vt si probare velim, hominem esse substantiam, hanc argumentationem adducam;

*Homo est animal, animal est viuens, viuens est corpus, corpus est substantia,*
*Ergo à primo ad vltimū, Homo est substantia*

Aduerte autem, hoc arguendi modo vti non licere in negatiuis; Regula, *Ex puris negatiuis nihil fit.*

5 Quinta est ea, quæ dicitur argumentatio ad hominem. Illud autem dicitur argumentum ad hominem, quod ex concessis, aut negatis alicuius conclusionibus sumimus ad illas easdem, vel alias eiusdem Doctoris conclusiones arguēdas; vt compellatur asserere, aut falsum dixisse, aut sibi non stetisse: eoq; maximè vtimur ad sedādam proteruiā, & ad nimiā disputantis obstinationem conuincendam. Simili argumento vsus fuit Christus Dominus, contra Iudæos, ipsum Diaboli virtute Dæmonia expellere accusantes, ideo ipsorū volens vesaniā extinguere dixit.

*Impossibile est, Dæmonium eijcere Dæmonium.*
*Ergo virtute Diaboli non eijcio Dæmonia.*

Circa hoc autem argumentū illud obseruandum occurrit, cū alterius dicto innitatur (vt ex definitione patet) eo vti integrum esse, etiāsi alioqui falsū est, quiā veritas illius non est absoluta, & iuxta regulas ordinarias, sed relātiua, & adamussim particularē ex datis videlicet, aut negatis ab aliquo; eo fermè modo, quo Iuristæ, testē à Reo semel admissum, cæteroqui etiā iuxta iura cōmunia ineptū, fieri validū per legē particularem; eo scilicet, quòd à Reo admissus est, asseuerant: potest enim & is vocari testis, & probatio ad hominem; ideo eo solo casu validus est.

6 Sexta est ea, quæ fit ex Propositionibus Modalibus, de quibus supra; & vocatur *Syllogismus Modalis*.

Sciendum est autem, esse quædam alia argumenta, quæ ab vsu veri Sapientis reijcienda sunt, quippè quæ veritatem magis lædant, quàm defendant. Quorum Primum illud[1] fit, quod Aristoteles vocat *Argumentum litigiosum*, & apud D. Bonauent. Serm. 1. sup. Genes. Aristot. S.Bon.

*Paralogysmi* nomē accepit; quia scilicet procedit ex præmissis falsis; quæ tamen, cùm in apparentia videantur veræ, litem inter argumentantes, & contentionem generant: verbi gratia.

*Omne, quod mouetur, transit per aliquod spatium.*
*Planeta mouentur.*
*Ergo transeunt per spatium Cæli.*

Secundum sit illud, in quo petitur principium, probando idem per idem; vt, ad probandum omne animal habere animam, sic aliquis diceret.

*Omne animatum habet animam*
*Omne animal est animatum.*
*Ergo omne animatum habet animam.*

Vel notius per ignotius; vt si ad probandum Deum esse, sic diceret.

*Omne quod viuit, habet esse;*
*Deus viuit,*
*Ergo habet esse.*

7 Tertium sit illud, quod veritatem conclusionis deducere contendit ex ijs præmissis, quæ nullo modo sunt illius causa; vt,

*Omnis sapiens viuit;*
*Aliquis homo est sapiens;*
*Ergo aliquis homo peccat.*

conclusio vera est, sed tamen non eruitur ex præmissis.

Denique illud sciendum est, aliquando conclusionem deduci immediatè, & euidenter; vt si dicas.

*Homo est rationalis.*

immediatè conclusionem inferre potes euidentem, sic,

*Ergo est risibilis.*

Aliquando verò mediatè, & obscurè; vt si probare velim, Beatitudinem non posse viribus naturæ obtineri, sic possem dicere,

*Non potest Beatitudo obtineri sine gratia.*
*Sed gratia est donum Dei;*
*Ergo non potest obtineri sine dono Dei.*

hæc conclusio vera est, sed non immediatè infert id, quod per eā probare intendit, nisi subiungatur,

*Sed donum Dei non potest haberi viribus naturæ.*
*Ergo beatitudo non potest obtineri viribus naturæ.*

Quare facto priori argumento, vlteriùs ad aliud progrediendum est hoc modo: *sed donum Dei, &c.* vtendo illis verbis, tunc subsumo; *Sed donum Dei, &c.*

## De demonstratione optima & vltima specie discursus.

### Cap. XI.

Vltimo loco nobilissimā illā argumētationis speciē, quā demōstrationē vocāt, declarandā reliquimus: de qua Arist. in Arist.

in lib. Poster. vberrimum, nobilissimumque Tractatum habuit. Ibi enim varia Primò Demonstrationum genera proponit. Deindè earum naturam explicat. Tertiò denique conditiones ad veram Demonstrationem requisitas adducit. Nos quoque tria hæc paucis de more prosequemur.

Et quò ad primum scire conuenit, Demonstrationem dictam esse à *demonstrando*, quasi demonstrans, & ob oculos mentis sic clarè veritatem objiciens, vt statim intellectus eam intuendo, absque alia ratione amplectatur. Quòd quia bifariè contingere potest, duplex constituitur demonstrationis genus. Aliud, quòd dicitur à priori, & est potissima demonstratio, quando scilicet effectus demonstratur per causam; & solet appellari *Demonstratio propter quid*. Vt si dicas.

*Omne rationale est risibile*:
*Omnis homo est rationalis*:
*Ergo omnis homo est risibilis*.

erit demonstratio à priori; rationalitas enim assignatur causa propter quam homo sit risibilis.

Aliud quod dicitur à posteriori, siue ab effectu, quando scilicet vice versa demonstratur causa per effectum, & solet appellari *Demonstratio, Quia* Vt si dicas,

***Omne risibile est rationale***;
***Omnis homo est risibilis***:
***Ergo omnis homo est rationalis***.

erit demonstratio à posteriori, & ab effectu; per effectum enim risibilitatis demonstratur, hominem esse rationalem.

2 Quò ad secundum, Aristo sic definit demonstrationem *Demonstratio est syllogismus faciens scire*: idest demonstratio est Syllogismus talis naturæ, vt scientificam intellectui ingerat cognitionem. Vndè demonstratio meritò à Dialecticis cogere dicitur intellectum, & ita omnem ambiguitatem ab eo repellere, & in veritate monstrata firmare, vt aliter dubitare, nedum sentire nequeat. Definitur & aliter his verbis; *Demonstratio est Syllogismus confectus ex propositionibus primis, veris necessarijs, immediatis, indemonstrabilibus, & causis conclusionis*. In qua definitione tangitur id, quòd tertio loco explicandum promisimus. Nam conditiones, quas perfecta postulat demonstratio, posterior pars assignatæ definitionis complectitur, cum dicitur: *Ex primis, veris, necessarijs*, &c. quanquam id magnè corollarium quoddam ad prædictam priorem definitionem consequens, quàm aliam definitionem esse, verba illa Aristotelis

muniter tradi sciat.

2 Prima est, ex puris particularibus nihil rectè concludi vi formæ; licèt possit concludi vi materię: idest, nihil concluditur ratione illius formę Syllogisticæ, sed concluditur ratione tantùm vnionis subiecti cum prædicato. Verbi gratia

*Aliquod animal est viuens*
*Aliquis homo est animal*
*Ergo aliquis homo est viuēs*

Hoc argumentum concludit quidem benè ratione materię, in quantùm propter necessariam connexionem prædicati cum subiecto in vtraque propositione deducitur vera conclusio: non concludit tamen ratione formæ, hoc est, ratione dispositionis propositionum; quoniā præmissæ non sunt causa veræ conclusionis; cuius signum est, quòd multi syllogismi huiusmodi falsè concludunt, vt iste,

*Aliqua substantia est lapis*
*Aliquis homo est substantia*
*Ergo aliquis homo est lapis.*

3 Secunda est, ex puris negatiuis nihil concludi. Verbi gratia.

*Nullus homo est planta*
*Nullum irrationale est homo*
*Ergo nullum irrationale est planta*,

Ambæ propositiones, seu pręmissę sunt verę; conclusio tamen falsa.

Tertia est: conclusio debet sequi debiliorem partem: vt si aliqua propositionum est particularis, vel negatiua; conclusio quoque erit particularis, aut negatiua. S. Bonau. in 1. dist. 14. art. 1. quæst. 1. ad vlt. verbi gratia. D.Bon.

*Omne animal est viuens*
*Aliquis homo est animal*
*Ergo aliquis homo est viuens.*

&

*Nullum animal est lapis*
*Aliquod viuens est animal*
*Ergo aliquod viuens non est lapis.*

4 Quarta est; medius terminus nunquam debet poni in cōclusione; semper tamen in vtraque propositione modo supra assignato.

Pręter has regulas, quæ sunt omnibus figuris communes, habet vnaquæque suas particulares; &c.

Quò ad primam figuram: Ex maiori particulari nil concluditur, sicut neque ex minori negatiua in modis perfectis. verbi gratia,

*Aliquod viuens est corpus*
*Nullum inanimatum est viuens*
*Ergo aliquod inanimatum non est corpus*

Vtraq. propositio vera est, & tamen conclusio falsa; vt patet.

Quò ad secūdam: Ex puris affirmatiuis nihil rectè concluditur, sicut nec ex maiori particulari. verbi gratia.

*Omne animal est viuens*

*Omnis*

*Omnis homo est viuens;*
*Ergo aliquod animal est homo*
&
*Aliquod viuens est animal*
*Omnis homo est animal*
*Ergo aliquod viuēs est homo.*

Quò ad tertiam denique: Ex minori negatiua nihil fit; verbi gratia.

*Omne animal est substantia*
*Aliquod animal non est rationale*
*Ergo aliqua substantia non est rationalis.*

## Vnde oriatur veritas huius Syllogistici discursus.

## Cap. VI.

CVm omnis veritas alicui nitatur fundamento; credendum non est, veritatem Syllogistici huius discursus super nihil fundatam esse, eo vel maximè quod omnis scientifica veritas ab argumentatione Dialectica, & præcipuè à Syllogistico discursu ortum ducit, & originem. Duplici igitur fundamento totam *Dialecticæ* argumentationis veritatem inniti, Prisci tradiderunt Dialectici. Alterum est. *Dictum de omni* Alterum est. *Dictum de nullo*

2 Dici de omni est, prædicatum ita conuenire subiecto, vt conueniat etiam omni sub illo subiecto contento, verbi gratia.

Hoc subiectum
*Homo*
continet sub se hæc
*Petrus*
*Paulus*
*Franciscus*, &c.

Quicquid igitur prædicatur de *Homine*, prædicabitur etiam de *Petro*, de *Paulo*, de *Francisco*: itaque,

Si vera est hæc prædicatio
*Homo est substantia*
Verificabuntur & hæ
*Petrus est substantia*
*Paulus est substantia*
*Franciscus est substantia*

Ratio est; quia omnia illa sub illo subiecto, *Homo*, continentur; & ideo si substantia verè prædicatur de *Homine*, verè etiam prædicabitur de *Petro*, de *Paulo*, de *Francisco*, & de omnibus sub illo subiecto contentis. Atquè hinc deducta est hæc regula

*Quicquid dicitur de omni, dicitur & de omni contento sub illo.*

Et si totum argumentum conficere velimus, dicemus sic.

*Omnis homo est substantia*
*Petrus, Paulus, & Franciscus est homo,*
*Ergo Petrus, & Paulus, & Franciscus est substantia*

3 Dici verò de nullo opposito modo se habet; quando scilicet prędicatum ita aufertur à subiecto, vt auferatur etiam ab omni, quod continetur sub eodem

dem subiecto. Verbi gratia.

Hoc subiectum
*Animal*
continet sub se hęc
*Leo*
*Bos*
*Lupus*, &c.

Quicquid igitur prędicatur negatiuè de *Animali*, prædicabitur etiam eodem modo de *Leone*, de *Boue*, & de *Lupo*. Itaq.

Si vera est hæc prædicatio,
*Animal non est accidens*;
Verificabuntur & hæ
*Leo non est accidens*,
*Bos non est accidens*,
*Lupus non est accidens*.

3 Ratio est; quia omnia illa includuntur sub illo subiecto *Animal*: & ideò si accidens non potest prædicari de *Animali*; verè prædicari non poterit nec de *Leone*, nec de *Boue*, nec de *Lupo*, nec tandem de omni contento sub illo. Atque hinc deducta est hęc regula;

*Quicquid negatur de omni, negatur & de omni contento sub illo*.

Et si totum argumentum conficere velimus, dicemus sic,
*Nullum Animal est accidens*
*Leo, Bos, Lupus est animal*:
*Ergo Leo, Bos, Lupus non est accidens*.

4 His ergo duobus dictis tota vis argumentationis, ac syllogistici discursus innititur. Aduertè autē, quando diximus, aliquid affirmari, vel negari de aliquo, eo quia sub aliquo subiecto continetur; non debere cōtineri sub illo, sicut cōtinetur pars integralis sub toto integrali, sed debere contineri tanquam inferius sub superiori, & tanquam particulare sub vniuersali, ad hoc, vt de eo aliquid verè affirmari, vel negari possit. Addunt aliqui, & benè, pro integro fundamento duo alia dicta huiusmodi. *De quocunque prædicatur inferius, & superius*: *Et de quocunque negatur inferius*, & *superius*; quorum sensus ex dictis hoc Capite per se patet. Vide Seraphicum in 3. d. 11. art. 2. quæst. 1. ad 4. S. Bon.

## De secunda specie Dialectici discursus, nempè de Enthymemate.

### Cap. VII.

Secunda species discursus est *Enthymema*; & dicitur illud, in quo ex vna tantùm propositione colligitur conclusio; ita vt ex duabus tantùm propositionibus constet. Quocirca potest meritò appellari syllogismus breuiatus, & est maximè in vsu apud Doctores.

Aduerte autem primo, Enthymema, licèt duas tantùm habeat propositiones, virtualiter tamen, & implicitè continere aliam tertiam, vt patet in hoc

hoc exemplo. Si enim dicatur.

*Arius est hereticus*:

*Ergo est peruersus*.

necessariò continebit hanc maiorẽ propositionem implicitã, *Omnis hæreticus est peruersus*,

2 Aduerte secundò, tria reperiri in vnoquoque Enthymemate. Primum est illa propositio, ex qua deducitur alia, & dicitur communiter Antecedẽs. Secundum est cõclusio, quæ colligitur, & appellatur Consequẽs. Tertium est ipsa consecutio, & illatio deducta; & vocatur Consequentia; vt iã patebit.

3 Aduerte tertiò, Antecedens quidem posse vel concedi, vel negari, vel distingui, secundum quòd illius veritas, aut falsitas requirit: Consequens verò nunquam negari, sed potius Consequentiam; nunquam enim dicitur nego Consequens, sed Consequentiam, idest hoc sequi ex illo, quia ex Antecedenti non rectè colligatur Consequens. v. g.

*Homo est doctus*.

*Ergo viuit*,

Neganda erit consequentia, non autem consequens: Non enim ex eo, quòd aliquis sit doctus, formaliter sequitur, quòd viuat, cùm & indocti vitam habeant. Poterit tamen bene cõsequens distingui, si non sit concedendum, v. g

*Christus est infinitus*:

*Ergo est vbique*,

Antecedens est certum: Consequentia etiam negari non potest; benè enim sequitur ex infinitate alicuius, esse vbique, quod ad veritatem consequentiæ sic necessariò requiritur, vt sufficiat. Distinguendum ergo est consequens sic; Christus est vbique ea ratione, qua est infinitus, scilicet quatenus est Deus; non autem ea ratione, qua est finitus, videlicet, vt est homo.

## De tertia specie Dialectici discursus, nempè Inductione.

## Cap. VIII.

Tertia species discursus dicitur *Inductio*; & est, quando ad probandum aliquam propositionem vniuersalem plura singularia adducimus, vt id, quod verum, vel falsum in pluribus singularibus reperimus, idem de omnibus in vniuersali concludamus; verb. gr. ad probandum, omnem hæreticum esse membrum Diaboli, sic conficio argumentum.

*Arius, & Pelagius, & Manichæus, &c. sunt membra Diaboli*.

Tum vniuersaliter de omnibus sic concludo,

*Ergo omnis hæreticus est membrum Diaboli*.

Aduer-

2 Aduertendum est autem Primò, ad aliquam vniuersalem propositionem probandam ex Inductione non esse omnia singularia, vel singula necessariò adducenda; sed sufficere, si ex eo, quod in maiori parte, vel vt plurimùm reperimus in ipsis singularibus, vniuersaliter concludamus; quia (vt vult Philosophus) quod videtur vt plurimùm, & in maiori parte, est naturale, & per se competit rebus.

3 Aduertendum Secundò, Inductionem posse fieri tam de Indiuiduis respectu Speciei, quàm de Speciebus respectu Generis;

Vt --- *Petrus, & Paulus, & cæteri homines sunt animal.*

Tum concluditur sic,

*Ergo omnis species hominis*, vel *omnis homo est animal.*

Vel --- *Homo, Leo, Asinus, & reliqua animalia sentiunt.*

Tum infertur sic,

*Ergo omne genus animalium*, vel, *omne animal sentit*

4 Aduertendum Tertiò, parùm referre, si fiat Inductio vel copulatiuè, vt vocant; vel copulatè. Copulatiuè dicitur, quãdo vnicuique singulari apponitur prædicatum, & copula. Copulatè verò, quando enumeratis omnibus, vel pluribus indiuiduis, semel tantùm in fine additur prædicatum;

Vt --- *Petrus est animal, & Paulus est animal, & Iacobus est animal:*

Vel --- *Petrus, Paulus, Iacobus est animal.*

*Ergo omnis homo est animal.*

## De quarta specie Dialectici discursus, nempè de Exemplo.

## Cap. IX.

Quarta species discursus dicitur *Exemplum*, & est, quando ex eo, quod alicui particulari accidisse videmus, concludimus, id euenturum omni alii, qui eiusdem vestigia sectetur; vt

*Arius, quia vestem Christi dilacerauit, interiora effudit.*

*Ergo, qui Christi Ecclesiam dilacerabit, supplicio punietur.*

Quo genere argumentationis maximè vti consuetum est in rebus moralibus, & practicis ad ad hoc, vt aliquem ab aliquo malo retrahamus, vel ad aliquod bonum inducamus: nam exempla magis mouent, quàm verba.

De

## De alijs quibusdam discursus, seu argumentorum speciebus.

### Cap. X.

PRæter quatuor enumeratas discursus, seu argumentorum species, quarum vsus in Scholis præcipuus est, & vsitatior; possumus & alias adiungere, quarum.

Prima est, quam vocant, *à proportione*; quando videlicet ex proportione, & similitudine, quam aliqua habent ad inuicem, id quod de vno affirmatur, idem & de altero proportionaliter enunciatur: modusque hanc argumentationem construendi talis est.

*Sicut se habet materia artificialium ad artificialia; ita se habet materia naturaliũ ad naturalia,*

*Sed materia artificialium in ordine ad artificialia est in pura potentia:*

*Ergo à proportione materia naturalium in ordine ad entia naturalia erit in pura potentia,*

Potest autem argumentum vice versa conuerti, sic.

*Sicut se habet materia artificialium ad artificialia, ita naturalium ad naturalia:*

*Ergo vice versa, seu quod idē est, à mutata proportione; sicut se habet materia naturalium ad naturalia, ita artificialium ad artificialia, &c.*

Atque in hoc argumentationis genere maximè respicienda est proportio; vt inde sequatur veritas conclusionis deducendę; quæ si non adsit, neganda est. Si verò respectu alicuius sit proportio, & respectu alterius non; distinguenda est, ne ex ignorantia proportionis in errorem dilabamur. Quoniam verò duplex est ꝓportio: vnius ad vnũ, & duorum ad duo, in vtrisq; poterit argumẽtum rectè cõponi.

2 Secunda est, quam D. Bonauentura 4. sent. dist. 18. art. 1. quæst 1. par. 2. & alii vocant, *Per impossibile*; quando scilicet argumentatio intenditur, & dirigitur ad aliquod impossibile, & absurdum deducendum: quo genere argumentationis vtimur contra eos, qui rationi ostensiuæ acquiescere nolunt. Vt si probare velim, verbi gratia, hæreticum non posse placere Deo, sic faciam, S. Bon.

*Si hoc esset verum, sequeretur, Deum esse mendacem,*

*Sed hoc est absurdum, & impossibile:*

*Ergo impossibile est illud esse verum*

Quòd si ex vno aliud verè sequatur, id nempè, quod sequi

enunciatur, concedenda est illa sequela, sicut in argumento iam indicato. Si verò inde non sequatur id, quod sequi pronunciatur, neganda est; vt in hoc,

*Si homo est animal, sequitur, ipsum currere.*

non enim ex eo, quòd homo sit animal, sequitur, ipsum currere: vnum enim, idest cursus non sequitur ad aliud, idest animal.

Ex hoc colligi potest, in quo discrepet hoc argumentationis genus ab iis, quę supra posita sunt. Nam illa, quæ capitibus præcedentibus attulimus, per ostensionem probant immediatè, & ostendunt id, quod probare intendunt: ideoque dicuntur argumenta ostensiua. Hæc verò non immediatè, & euidenter probant conclusionem intentam, sed priùs ducunt ad aliquod inconueniens; vt exinde ad negatam veritatem concedendam perducant. Id quod innuere voluit Diuus Bonauentura indicata quæstione ad tertium his verbis, *Ille, qui syllogizat per impossibile, deducit ad impossibile, non vt ibi sistat, sed vt ad veritatem redeat.*

3 Tertia est eorum, quæ communi vocabulo appellantur Argumenta hypothetica, seu conditionata, eo quòd in eis assumitur aliqua ex his tribus conditionibus, *Si, Et, Aut.*

Quando assumitur dictio, *Si*, argumentum dicitur conditionale, quia concludit ex suppositione facta: vt,

*Si Deus est iustus, impium damnabit;*
*Sed Deus est iustus,*
*Ergo impium damnabit;*

Ad huius argumenti veritatem sufficit, vt conclusio sequatur ex facta suppositione, & conditione; licèt fortasse suppositio esset falsa: vt in hoc,

*Si lapis est animal, lapis viuit*
*Sed lapis est animal*
*Ergo lapis viuit*

hoc argumentum verè concludit ex facta suppositione; at suppositio falsa est; lapis enim non est animal;

Quando media vocula, *Et*, adhibetur, argumentum dicitur copulatiuum; vt

*Non potest aliquis seruire Deo, & Mammona*
*Sed auarus seruit Mãmona*
*Ergo auarus non potest seruire Deo*

Quando tandem assumitur vltima dictio, *Aut*, argumentum dicitur disiunctiuum; vt,

*Aut Deus est iniustus; aut hæreticus damnabitur;*
*Sed Deus est iustus;*
*Ergo hæreticus dãnabitur.*

Hoc argumenti genus appellari solet argumentum cornutum,

tum, eo quòd ad stringendum adversarium magnā vim habet; vt si quis sic instet,

*Aut est aliquid, aut est nihil;*
*Si aliquid; aut substantia, aut accidens, &c.*

vt sic via claudatur aduersario ad fugiēdam argumentationem.

4 Quarta est ea, in qua ex pluribus propositionibus subsequenter allatis, infertur tandem optata conclusio; & dicitur hoc argumentum *Sorites*, seu, *Aceruale*; quia multas propositiones coaceruat; vt si probare velim, hominem esse substantiam, hanc argumentationem adducam;

*Homo est animal, animal est viuens, viuens est corpus, corpus est substantia,*
*Ergo à primo ad vltimū, Homo est substantia*

Aduerte autem, hoc arguendi modo vti non licere in negatiuis; Regula, *Ex puris negatiuis nihil fit*.

5 Quinta est ea, quæ dicitur argumentatio ad hominem. Illud autem dicitur argumentum ad hominem, quod ex concessis, aut negatis alicuius conclusionibus sumimus ad illas easdem, vel alias eiusdem Doctoris conclusiones arguēdas, vt compellatur asserere, aut falsum dixisse, aut sibi non stetisse: eoq; maximè vtimur ad sedādam proteruiā, & ad nimiā disputantis obstinationem conuincendam. Simili argumento vsus fuit Christus Dominus, contra Iudæos, ipsum Diaboli virtute Dæmonia expellere accusantes, ideo ipsorū volens vesaniā extinguere dixit.

*Impossibile est, Dæmonium eijcere Dæmonium.*
*Ergo virtute Diaboli non eijcio Dæmonia.*

Circa hoc autem argumentū illud obseruandum occurrit, cū alterius dicto innitatur (vt ex definitione patet) eo vti integrum esse, etiāsi alioqui falsū est, quia veritas illius non est absoluta, & iuxta regulas ordinarias, sed relatiua, & adamussim particularē ex datis videlicet, aut negatis ab aliquo; eo fermè modo, quo Iuristæ, testē à Reo semel admissum, cæteroqui etiā iuxta iura cōmunia ineptū, fieri validū per legē particularem; eo scilicet, quòd à Reo admissus est, asseuerant: potest enim & is vocari testis, & probatio ad hominem; ideo eo solo casu validus est.

6 Sexta est ea, quæ fit ex Propositionibus Modalibus, de quibus supra; & vocatur *Syllogismus Modalis*.

Sciendum est autem, esse quædam alia argumenta, quæ ab vsu veri Sapientis reijcienda sunt; quippè quæ veritatem magis lædant, quàm defendant. Quorum Primum illud sit, quod Aristoteles vocat *Argumentum litigiosum*, & apud D. Bonauent. Serm. 1. sup. Genes. Aristot. S.Bon.

 *Para-*

*Paralogysmi* nomē accepit; quia scilicet procedit ex præmissis falsis; quæ tamen, cùm in apparentia videantur veræ, litem inter argumentantes, & contentionem generant: verbi gratia.

*Omne, quod mouetur, transit per aliquod spatium.*
*Planetæ mouentur.*
*Ergo transeunt per spatium Cæli.*

Secundum sit illud, in quo petitur principium, probando idem per idem; vt, ad probandum omne animal habere animam, sic aliquis diceret.

*Omne animatum habet animam*
*Omne animal est animatum.*
*Ergo omne animatum habet animam.*

Vel notius per ignotius; vt si ad probandum Deum esse, sic diceret.

*Omne quod viuit, habet esse;*
*Deus viuit,*
*Ergo habet esse.*

7 Tertium sit illud, quod ueritatem conclusionis deducere contendit ex ijs præmissis, quæ nullo modo sunt illius causa; vt,

*Omnis sapiens viuit;*
*Aliquis homo est sapiens;*
*Ergo aliquis homo peccat.*

conclusio vera est, sed tamen non eruitur ex præmissis.

Denique illud sciendum est, aliquando conclusionem deduci immediatè, & euidenter; vt si dicas.

*Homo est rationalis.*

immediatè conclusionem inferre potes euidentem, sic,

*Ergo est risibilis.*

Aliquando verò mediatè, & obscurè; vt si probare velim, Beatitudinem non posse viribus naturæ obtineri, sic possem dicere,

*Non potest Beatitudo obtineri sine gratia.*
*Sed gratia est donum Dei;*
*Ergo non potest obtineri sine dono Dei.*

hæc conclusio vera est, sed non immediatè infert id, quod per eā probare intendit, nisi subiungatur,

*Sed donum Dei non potest haberi viribus naturæ.*
*Ergo beatitudo non potest obtineri viribus naturæ.*

Quare facto priori argumento, vlteriùs ad aliud progrediendum est hoc modo: *sed donum Dei, &c.* vtendo illis verbis, tunc subsumo; *Sed donum Dei, &c.*

## De demonstratione optima & vltima specie discursus.

### Cap. XI.

VLtimo loco nobilissimā illā argumētationis speciē, quā demōstrationē vocāt, declarandā reliquimus: de qua Arist. *Arist.* in

in lib. Poster. vberrimum, nobilissimumque Tractatum habuit. Ibi enim varia Primò Demonstrationum genera proponit. Deindè earum naturam explicat. Tertiò denique conditiones ad veram Demonstrationem requisitas adducit. Nos quoque tria hæc paucis de more prosequemur.

Et quò ad primum scire conuenit, Demonstrationem dictam esse à *demonstrando*, quasi demonstrans, & ob oculos mentis sic clarè veritatem obijciens, vt statim intellectus eam intuendo, absque alia ratione amplectatur. Quòd quia bifariè contingere potest, duplex constituitur demonstrationis genus. Aliud, quod dicitur à priori, & est potissima demonstratio, quando scilicet effectus demonstratur per causam; & solet appellari *Demonstratio propter quid*. Vt si dicas.

*Omne rationale est risibile:*
*Omnis homo est rationalis:*
*Ergo omnis homo est risibilis.*

erit demonstratio à priori; rationalitas enim assignatur causa propter quam homo sit risibilis.

Aliud quod dicitur à posteriori, siue ab effectu, quandò scilicet vice versa demonstratur causa per effectum, & solet appellari *Demonstratio, Quia* Vt si dicas,

*Omne risibile est rationale;*
*Omnis homo est risibilis:*
*Ergo omnis homo est rationalis.*

erit demonstratio à posteriori, & ab effectu; per effectum enim risibilitatis demonstratur, hominem esse rationalem.

2 Quò ad secundum, Arist. sic definit demonstrationem. *Demonstratio est syllogismus faciens scire*: idest demonstratio est Syllogismus talis naturæ, vt scientificam intellectui ingerat cognitionem. Vndè demonstratio meritò à Dialecticis cogere dicitur intellectum, & ita omnem ambiguitatem ab eo repellere, & in veritate monstrata solidare, vt aliter dubitare, nedum sentire nequeat. Definitur & aliter his verbis; *Demonstratio est Syllogismus confectus ex propositionibus primis, veris necessarijs, immediatis, indemonstrabilibus, & causis conclusionis*. In qua definitione tangitur id, quòd tertio loco explicandum promisimus. Nam conditiones, quas perfecta postulat demonstratio, posterior pars assignatę definitionis complectitur, cum dicitur: *Ex primis, veris, necessarijs*, &c. quanquam id magnè corollarium quoddam ad prædictam priorem definitionem consequens, quàm aliam definitionem esse, verba illa Aristo-

telis, *Si igitur est scire, &c.* non obscurè demonstrent.

Quò ad tertium igitur, omnes Demonstrationis conditiones rectè assignatas esse putabimus, si antedictæ definitionis partes singillatim, breuiterque elucidauerimus.

Porrò Propositio Vera illa est, in qua prædicatum verè competit subiecto, vt ex dictis supra de veritate propositionum satis superque apparet.

*Necessaria* verò est, quando per se, & necessariò, non autem per accidens, aut contingenter prædicatum congruit subiecto. Sed hæc adhuc minimè sufficiunt; quippe quòd plures reperiuntur Syllogismi ex veris, ac necessariis propositionibus confecti, qui tamen nec Demonstrationis nomine dignantur, nec Demonstrationis quidditatem complectuntur: idcirco adiungitur tertia conditio, vt scilicet propositio sit

3 *Prima, immediata, & indemonstrabilis.* Equidem propositio prima, immediata, & indemonstrabilis ea est, ad quam probandam non est reperire aliud medium superius, licèt possit per aliquod inferius probari: seu, quod idem est, propositio prima, immediata, &c. ea est, quę à priori non potest: implicat enim esse primum, & immediatum, & habere aliquid anterius. Debet autem propositio esse prima, & indemonstrabilis, quia in Scientia debet dari status, & quies intellectus; non datur autem status, aut quies nisi in primo, & indemonstrabili. Debet deinde esse causa immediata conclusionis; quia Scientia est cognitio rei per causam, & per causam immediatam. Vnde qui assumit causam mediatam, & remotam in Demonstratione, non rectè demonstrat, quia effectus pendet immediatè à causa prima, & immediata; ideo per eam probari debet, vt demonstretur.

4 Ad cognoscendum autem quando quid sit causa immediata alicuius effectus, proponitur ab Aristot. satis conueniens regula ex præceptis *Diuisionis* deducta, quæ est huiusmodi. Primò assumenda sunt omnia prædicata, quæ rei demonstrandę conuenire possunt; deinde singula singillatim per intellectum remouenda, vt ex inde coniiciatur, quodnam sit illud, à quo tanquam à causa immediata oritur effectus; Illud autem erit, ex cuius ablatione non ampliùs tale prædicatum conuenit subiecto. Verbi gratia. Ad inueniendum, quænam sit causa immediata risibilitatis in homine; adducenda sunt primò omnia prædicata, quæ conueniunt homini; puta, esse substantiam, esse Aristot.

cor-

corpus, esse animal, esse rationale, &c. Deinde singula abstrahenda sunt per intellectum, sic; Abstrahatur primò substantia, reliquis tamen remanentibus; tunc videndum est, an homini adhuc conueniat risibilitas; quòd si adhuc conuenit, signum est, substantiam præcisè vt sic non esse causam immediatam risibilitatis. Abstrahatur igitur & secundum, & tertium, & sic deinceps, donec inueniatur id, quo ablato, non ampliùs conuenit homini esse risibile, & illud proculdubiò erit causa risibilitatis in homine. Si enim ab eo auferas quodcunque prædicatum, excepta rationalitate, adhuc risibilitas eidem conuenit; si autem abstrahas esse rationale, vtique & esse risibile abstrahas necesse est, nec ampliùs risibilitas conuenit homini. Vnde infertur, rationale esse causam immediatam risibilitatis in homine.

Et aduerte, si propositiones erunt causa immediata conclusionis, futuras etiam primas, & indemonstrabiles; ita etiam si erunt primæ, & indemonstrabiles, habituras ea omnia, quæ ad potissimam Demonstrationem construendam requiruntur.

5 Ex his libet inferre, quodnam sit medium congruum Demonstrationis; asseritur enim esse omne id, quod est causa prima immediata rei demonstrandę, siue sit definitio subiecti, siue prædicati.

Quæres, si propositio prima est etiam immediata, indemonstrabilis, &c. cur Aristot. in tradenda Definitione tanta verborum diuersitate, & multiplicitate vsus fuerit; cùm ex D. Bonauent. Definitio debeat esse breuis, nullumque verbum continere superfluum? *Arist.* *S.Bon.*

Respondet Ruuius 1. Poster. cap. 2. quæst. 1. nullum verbum esse superfluum, quia singula diuersam rationem eiusdem rei significant. Sed hæc responsio non valet; quia similiter posset dici de quacunque definitione, in qua omnia genera, & differentiæ etiam remotæ collocantur; Verbi gratia hæc, Homo est substantia corporea, animata, &c. certum enim est, singula hæc prædicata importare diuersam rationem in homine; & tamen huiusmodi definitio vitiosa est. vt patet ex traditis superiùs de regulis Definitionis. *Ruuius*

Respondeo ergo aliter; nempè Aristotelem vsum esse tanta verborum varietate; quia in præfata definitione intendebat explicare distinctè omnia, quæ ad Demonstrationem necessario requirebantur:

bantur; & id facere proficuum erat, quò exactiùs natura perfecti discursus perciperetur. Vnde ad regulas veræ definitionis eam reducendo dicere sufficiet; *Demonstratio est Syllogismus procedens ex immediatis causis conclusionis*.

6 Quæres iterum, quid per causas intelligat Arist. Vtrum causas reales, ex quibus realiter pendet effectus, an etiam quascunque rationes priores?

Ruu. Respondet Ruuius vbi supra, per causas intelligi tum causas reales, tum quascunqne rationes priores; ita vt ad veram demonstrationem sufficiat procedere ex rationibus prioribus, quo pacto probantur, & demonstrantur de Deo aliqua per rationes priores, vt quod sit æternus, quia immutabilis, cùm tamen immutabilitas non possit esse causa æternitatis. Sic demonstratur de Ente, quòd sit bonum, quia verum, &c. & est communis Iesuitarum expositio.

Hæc doctrina non placet; nam verè ad demonstrationem exigitur, vt sit causa vera.

S. Bon. Sed aduerte ex S. Bon; in 1. dist. 38. art. 1. quæst. 2. duplicem esse causam; alteram producentem, alteram inferentem, quæ, etsi non efficiat Physicè effectum; infert tamen immediatè. Nam verè, quia *Deus* est purus actus, est impassibilis: vera enim ratio, & immediata, cur Deus est impassibilis, est, quia purus actus est.

7 Quæres rursum, Num ad demonstrationem assumenda sit vtraque propositio necessaria, &c. An sufficiat, si altera tantùm, ea scilicet, quæ pro termino habet medium?

Respondeo, Zabarellam asserere, sufficiens esse, si altera tantùm; vnde potest construi vera demonstratio ex minori non necessaria: ratio potest esse, quia scientia ex sola causa immediata pendet; vt ex Aristotele colligitur: est enim scientia cognitio rei per causam. Demonstratio ergo faciens scire ex sola immediata effectus causa per se pendet. Alij nilominus absolutè volunt, vtranque propositionem esse necessariam, & immediatam. Ego cum distinctione respondendũ censeo Quæstioni: Aut. n. loquimur de demonstratione ad amussim Aristotelicam; & tunc assero, demonstrationem debere constare vtraque propositione, necessaria, & immediata; vnde ipse in plurali vsus est primis, & causis conclusionis: at abstrahendo ab amussi Aristotelica, & loquendo de demonstratione, vt est syllogismus faciens scire, reor non esse necessarium, vt demõstratio vtraque propositione immediata constet Zabar.

Quo

Quò verò hæc nostra conclusio firmiùs in suo robore subsistat, scire decet, duobus modis posse intelligi demonstrationem debere constare ex causis conclusionis: Primò Logicè, hoc est iuxta regulas Dialecticas, quò sanè pacto non est conditio solius demonstrationis, vt sit causa necessaria conclusionis, immò commune id est omni syllogismo etiam ex falsis constructo; vt ex syllogismi definitione superiùs ex Aristotele allata lucet, vbi dicitur; *Ex quibusdam positis aliud quid ex necessitate sequi*; vides, quomodo Aristoteles præmissas causas necessarias conclusionis afferat. Nō potest ergo eo modo accipi nomen causę, & necessarij in demonstratione assumptum. Itaque alio modo causa dicitur Physicè, ad cuius esse sequitur aliud, siuè verè influat producendo, vt est causa essendi; siue non influat producendo, vt est causa inferendi per modum causæ. Ideo Aristoteles, licèt in demonstrationis definitione vsus sit causis in plurali; nilominus in definitione scientiæ, quæ habetur per demōstrationem, vsus est nomine *Causa* in singulari: *Scientia*, inquiens, *est cognitio rei per causam, &c.* In demōstratione itaque sufficit adhibere causam Physicam, quæ quia vna est vnius effectus, & vnius passionis; puta, vna est formalis, aut efficiens, & cętera: ideo eam in demonstratione tātummodo assumere sufficit, atque adeò poterit ea demonstratione, in qua vna tantùm est propositio immediata, & necessaria, verè aliquid demonstrari.

8 Quęres iterum, Vtrum omnis causa inferendi posit esse medium congruum potissimæ demonstrationi. Ratio dubitandi est, quia S. Bon. vbi supra, videtur asserere, non solum causam, verum etiam effectum nomine causæ inferendi venire: quod, & ipsa ratio suadet, quippe causa inferendi (vti ex ipso nominis etymone, ac etiam ex Seraphici Doctoris sententia clarè conijcitur) est, à qua valet illatio; atqui non minùs valet illatio à causa ad effectum, quàm ab effectu ad causam; ergo non omnis causa inferendi est medium aptum ad potissimam demonstrationem conficiendam. Resp. Non omnē causā inferendi (vt argumenta pręfata demonstrant) esse medium aptū potissimę demōstrationis; sed causam inferendi per modum causæ. Voco autem causam inferendi per modū causę, à qua valet illatio tanquam à priori ad posterius non contra: vt etiam colligitur ex Arist. in Postpræd. cap. de Priori in fine. S. Bon. Arist.

9 Quæres præterea, Vtrum omnia quatuor genera causarum possint esse medium idoneum

neum potissimæ demonstrationi: suppono ex tradendis in Physiologia, quatuor genera causarum esse, efficientem, materialem, formalem, & finalem, de quibus cumulatè ibidem. Suppono itidem ex digestis eodem loco, omnem ferè effectum ad sui constitutionem prędicta quatuor genera causarum postulare; quanquam earum quædam, vt efficiens, & finis ad effectus productionem duntaxat: ideoque causę extrinsecę appellantur; materia verò, & forma formaliter ad rei constitutionem desiderātur; ideoque intrinsecæ nuncupantur, quibus suppositis.

Respondeo omnem, ac singulam prædictarum causarum posse assumi pro medio idoneo ad demonstrationem propter quid conficiendam, ita conspicuè docet Arist. 2. Poster. 11. & omnes Dialectici ad idem Capitulum: & probatur; quia Aristoteles, tradens definitionem Scientiæ, indifferenter asseruit esse cognitionem rei per causam; è regione verò addidit, demonstrationem esse Syllogismum facientem scire; ex quibus tandem, demonstrationem debere constare ex veris, necessarijs, & immediatis causis conclusionis, deduxit. Nec de hoc potest vel modica inter Doctores esse discordia.

Arist.

10 Tota difficultas est; num quælibet demonstratio per quācunque causam effincta possit, & debeat inter demonstrationes potissimas reputari: aliqui enim solam demonstrationem à causa formali demonstrationem potissimam habendam esse affirmant; quòd causa formalis, & definitio subiecti sit medium potissimæ demonstrationis, non causa materialis, efficiens, aut finalis. Ad præcauendum verò absurdum distinguentium demonstrationem potissimam à demonstratione propter quid, vtuntur distinctione; nempè demonstrationem propter quid suscipere varios gradus perfectionis; quorum supremum cum sola demonstratio à causa formali obtineat, sola debet censeri potissima; reliquæ verò popter quid, non autem potissimæ. Cæterùm satiùs esse iudico, si asseratur, non solam demonstrationem à causa formali, verùm etiam ab efficiente, & materiali posse, & debere inter potissimas demonstrationes collocari; quia (vt probabitur inferiùs) non solùm passiones fluentes intrinsecè à causa formali, verùm etiam quædam manantes à causa materiali de subiectis demonstrantur, quæ aliter, quàm per causam materialem demonstrari nequeunt. Accedit, reperiri quosdam effectus, qui à solis causis efficientibus pendent, atque adeò per solas causas efficientes

cientes demonstrari queunt: non nego tamen, quoties effectus, & passio potest probari per causam formalem, efficientem, & materialem, demonstrationem à causa formali, cæteris paribus, eo casu haud esse præstantissimam, & potissimam, comparatione facta omnium demonstrationum ad inuicem; quia causa formalis collata cum efficienti, & materiali est nobilior, & immediatior: at considerando singulas demonstrationes absolutè, vnaquæque in suo gradu potissima appellari potest. De causa autem finali res non est adeò certa; quia dubium est inter Philosophos, an sit causa verè, & vniuocè cum alijs, nec ne; quo etiam concesso, adhuc non videtur ita potissimè per eam demonstrari; cùm depẽdentia effectus ab ea sit potiùs moralis, quàm physica; vt multi arbitrantur. Nihilominus videtur nobis verosimilius etiam demonstrationem à causa finali censendam esse potissimam, si præcisè in se consideretur; sin verò cum alijs conferatur, vtique fatendum est, illis esse ignobiliorem, & imperfectiorem ob rationes factas.

11 Quæres adhuc, Vtrum demonstratio à causa formali, efficienti &c. sit eadem specie, an diuersa. Respondeo, demonstrationes posse inuicem comparari multifidàm. Primò in eodem genere causæ, puta duas demonstrationes à causa formali, vel duas à causa efficienti, & cætera. Secundò in diuerso genere, in ordine tamen ad conclusionem eandem, seu effectum; puta demonstrationem à causa efficienti, & formali, quatenus vtraque ordinatur ad eundem effectum demonstrandum. Tertiò denique, in diuerso genere, & in ordine ad diuersos effectus; puta si per causam formalem probem, hominem esse risibilem, & materialem eundem, vel alium esse corruptibilem.

12 Dico ergo primò, si cõparentur demonstrationes ad inuicem in eodem genere; puta duæ demonstrationes à causa formali, probabile esse admodum non distingui specie; etiam si effectus differant specie: ratio est, quia essentia demonstrationis est, vt sit syllogismus ex causis; atqui causę formales, quæ sunt mediũ demonstrationis formaliter, non differunt, licèt alioqui entitatiuè discrepent. Ergo.

Dico secundò, probabile similiter esse, & multò etiam probabilius, demonstrationes à diuerso genere causæ esse specie diuersas; licèt effectus demonstratus sit idem; puta si demonstrem de homine, quòd sit beatitatis diuinę capax per causã formalẽ, & finalem, ratio potest esse, quia duæ demonstrationes in diuerso genere causę

plus

plus discrepare videntur, quàm duę in eodem: atqui supra differentiam numericam non est alia minor, quàm specifica; Ergo: quod si differant specie duę demonstrationes terminantes ad eundem effectum, multò sanè magis terminantes ad diuersos; vt patet. Dixi autem semper probabiliter, quod admodum probabile existat, omnem differentiam, quę reperitur inter demonstrationes propter quid, esse solùm extrinsecam, & accidentalem, sicut solùm accidentariè differunt syllogismus, & Enthymema, &c. ita vt discursus non sit propriè genus ad syllogismum, Enthymema &c. nec syllogismus, & Enthymema species rigorosè discursus: Ergo neque demonstratio erit genus ad demonstrationem à causa formali, efficienti, &c. eo vel maximè quod Arist. duas tantùm assignauit species demonstrationis, nempè à causa, & effectu; ergo demonstratio à causa est species atoma, quæ non distinguitur in alias species. Idipsum assero eadem probabilitate de demonstrationibus quia; solę ergo demonstrationes propter quid, & quia, si inuicem conferantur, specie propriè discriminare probabilissimè asserendum est.

13 Quæres rursum, Vtrum detur demonstratio à causa, vel effectu negatiuo: ratio difficultatis potissimùm apparet in demonstratione à causa; quia effectus negatiui nulla datur causa per se.

Resp. nihilominus affirmatiuę cum Arist. hoc l. 1. cap. 21. vbi etiam ait, affirmatiuam esse negatiua potiorem, sicut capite præcedenti prętulerat vniuersalem particulari; & sequenti ostensiuam deducenti ad impossibile. Ex quibus clarè conijcitur, dari gradus perfectionis in ipsis demonstrationibus à causa, & propter quid. Nec obiectio facta premit; meminisse quippe decet, nomine causæ venire nedum causam essendi, verùm etiam causam inferendi, dũ inferat ad modum causæ immediatè, &c. Resp. itaque, effectus negatiui dari causam negatiuam quæ licet effectum non producat, tamen per modum causæ immediatè infert, vt verbi gr. *Nullum irrationale est risibile; Omne brutum est irrationale: Ergo nullum brutum est risibile.* Hęc est demonstratio negatiua, in qua medium est irrationale, quod est causa immediata, cur bruta non sint risibilia, sicut rationale est causa proxima, & immediata, quòd homo sit risibilis. Ratio est, quia opposita causa infert oppositum effectũ. Hinc rursum colligitur, nomine causæ in definitione scientiæ, & demonstrationis positæ non venire solas causas essendi, quæ

verè influunt in effectum, aut rationes priores positiuas; verùm quascunque causas reales inferendi, siue sint positiuæ, siue negatiuæ. Colligitur itidem, posse fieri demonstrationem non solùm per rationes ostensiuas, sed etiam deducentes ad impossibile.

14 Quæres ampliùs, verũ demõstratio quia debeat dici vera demonstratio: hactenus locuti sumus de demonstratione propter quid, & potissima, siue à causa, eius naturam, conditiones, medium, præstantiam, & species, quantùm breui oratione fieri potest, in propatulum exponentes, idipsum posthac de demonstratione quia persequemur, propositum breuitatis nostræ nunquã intermittentes; nam, licèt quęstiones istæ adeò sint peculiares Dialecticæ, vt nullus aptior in tota scientiarum serie locus ad ad eas dirigendas inueniatur, sicut de alijs multis accidit, quarum vberiorem explanationem aut ad Physiologiam, aut ad Metaphysicam, aut ad Theologiam tanquam ad opportuniorem locum reportandam putauimus: attamen eæ ipsæ, quæ sui ipsarum hoc loco declarationem postulant, stylo plano, & exoterico tractandæ sunt, vt faciliùs, & exactiùs à Dialecticis percipiantur: quãobrem, relictis longis hac in re Doctorum altercationibus, breuiter difficultati sic occurrendũ censeo.

15 Demonstratio quia non est vera demonstratio, nec syllogismus faciens scire: hæc fuit opinio Auicennæ, quam tamen communiter Dialectici à terminis Dialecticę extrudere gestiũt: sed probatur vnico argumento (vt reor) satis efficaci: Cui non conuenit definitio, nec definitum; at demonstrationi quia non conuenit definitio demonstrationis. Ergo. Minor probatur. Definitio demonstrationis est, vt fit ex prioribus, notioribus, & causis conclusionis; sed demonstratio quia non est huiusmodi: Ergo. Minor iterum suadetur: nam demonstratio quia est ab effectu ad causam: Ergo non est ex causis: Ergo non est ex prioribus, & notioribus. Confirmatur: esse cognitionem per causam, & per effectum sunt definitiones oppositæ; ergo diuersa definita; ergo diuersa essentia definitorum: aut ergo definitio demonstrationis, & scientię tradita ab Arist. & communiter recepta, non est vera; aut demonstratio quia non est vera demonstratio, & syllogismus faciens scire. Nec obstat, veritatem ineuidentem posse probari per veritatem euidentem deductam tam ex effectu, quàm ex causa; quoniam ad scientiam formaliter requiritur, vt cognitio euidens habeatur de effectu per cau- Auic.

cau-

causam, non contra: ex quo fit, vt definitio scientiæ, & demonstrationis nullo modo aut vniuocè, aut analogicè cõueniat vtrique demonstrationi: ratio est, quia omnino opposito modo se habent. Quare supposita Arist. doctrina cap. 2. 1. Post. scientiam scilicet esse cognitionem certam, & euidentem per causã; & demonstrationẽ esse syllogismum huiusmodi scientiam progignentem, nulla ratione sustineri potest demonstrationem quia esse veram demonstrationem, aut syllogismum facientem scire, vt optimè asseruit Auicennas. Non negamus tamen, demonstrationem quia esse notitiam certam & euidentem, posseque vocari demonstrationem, & scientiam largè, & impropriè, ideò tota hæc lis, & controuersia est de voce, non de re; quanquam modus loquendi Auicennę est magis proprius, quàm Recentiorum; atque ideò sine causa opinio Auicennæ ab ipsis exploditur: nam & notitia principiorum est certa, & euidens, quę tamen scientia propriè minimè censenda est, pro vt de scientia est sermo Arist. in lib Posterior.

Arist.

16 Quæres insuper, an demonstratio quia ad sui naturam, & essentiam poscat eas conditiones, quas postulat demonstratio propter quid; nempè vt sit ex veris, necessarijs &c. Resp, aliqua in hac quæstione esse citra dubitationem, aliqua verò non nihil posse habere dubitationis. Quidem citra dubitationem est, ad demonstrationem quia requiri, vt sit ex veris. Similiter est citra dubitationem, demonstrationem quia non esse ex causis, cùm immò sit omnino quò ad hoc per oppositum ad demonstrationem propter quid. Hæc siquidem formaliter est à causa, illa verò ab effectu.

17 At verò controuersum est primò, vtrum debeat esse ex notioribus; & Resp. affirmatiuè; nam propositiones sunt causa cognoscendæ conclusionis haud secus, quàm in demonstratione propter quid. Notandum tamen est, sic esse ex notioribus necessariò; vt sufficiat esse ex notioribus secundùm quid, non autem simpliciter; quia causa est notior simpliciter effectu, quanquam ex accidenti, & pro subiecta materia effectus tunc secundùm quid est causa notior: id ipsum prorsus affirmo de prioritate. Controuersum est secundò; vtrum debeat esse ex necessarijs; & videtur, quòd non; quia multi sunt effectus, qui non habent determinatam causam, & necessariam, vt sunt maximè accidentia communia, à quibus tamen illatio valet: ea propter Auicennas huic similiter insistens rationi iuit inficias, demonstrationem quia esse veram demonstrationem, aut syllogismum

mum facientem scire. Verùm resp. demonstrationem quia vendicare propositiones necessarias. Probatur; nam demonstratio quia est syllogismus pariens notitiam certam, quæ aliter esse non potest; ergo requirit propositiones necessarias. Probatur sequela; quia certitudo conclusionis pendet ex certitudine præmissarum: vnde ad Auicennam resp. non omnem syllogismum ab effectu esse demonstrationem quia, sed syllogismum ex veris, & necessarijs: quare hic illud libet affirmare, quod docet Aristot. 1. Post. 6. *Ex veris quidem est, & non demonstrantem syllogizare: ex necessarijs verò non est nisi demonstrantem; hoc enim iam propriū demonstrationis est.* Arist.

18 Atenim non modica mox subrepit dubitatio; quemadmodum videlicet Arist. hic asserat ex necessarijs non nisi demonstrantem syllogizare, & hoc proprium demonstrationis esse. Videtur enim id esse falsum, ac oppositum ei, quod nos anteriùs asseuerauimus; nempè dari syllogismum medium inter demonstrationem, & syllogismum Topicum, quem appellamus syllogismum ex necessarijs; quia propositiones non sunt causa immediata conclusionis. Huic porrò difficultati respondent aliqui, concedentes proprium esse demonstrationis constare ex prę-missis necessarijs, ac proinde nullum dari syllogismum mediū, verum potiùs omnem aut esse demonstrationem, si nimirum constet ex propositionibus necessarijs, vel syllogismum probabilem, & contingentem, si ex præmissis contingentibus: ita soluit dubitationem doctissimus Toletus eo cap. 6. quæst. vnica ad 1. vbi etiam adijcit, omnem syllogismum ex necessarijs, eo vno excepto, qui à propria causa procedit, ad album demonstrationis quia reuocari. Tolet. Cęterùm nulla ratio cogit, vt ab illa tripartita syllogismorum dispositione recedamus: cùm enim Arist. omnem demonstrationis speciem ad demonstrationem à causa, & demonstrationem ab effectu redegerit, demonstrationemque à causa propter quid, & potissimam, siue à priori, demonstrationem verò ab effectu quia, seu à posteriori appellarit; demonstratum est, non omnem syllogismum etiam necessarium ad alterum horum membrorum posse reuocari; dantur siquidem syllogismi necessarij, qui neque à causa sunt, neque ab effectu: vt verb. grat. *Omne animal est substantia; Omnis homo est animal; Ergo omnis homo est substantia;* Quęlibet nanque harum propositionum est necessaria; neutra tamen est aut effectus, aut causa alterius; quòd quippe animal sit

sit substantia non est causa ipsū animal; vt sic, neque est effectus, vt patet. Adde; sicut demonstratio propter quid poscit, vt propositio inferat suum effectum proximè, & immediatè; ita demonstratio quia requirit, vt propositio inferat causam proximam, & immediatam. Quandoquidem eademmet est ratio vtriusque demonstrationis à proportione. Quare hæc non est demonstratio quia; *Omne risibile est substantia; Omnis homo est risibilis; Ergo omnis homo est substantia*; quia esse risibile non est effectus proximè inferens esse substantiam; quemadmodum quia substantia non est causa proximè inferens esse risibile: hæc neutiquam est demonstratio propter quid: *Omnis substantia est risibilis: Omnis homo est substantia: Ergo* ...

Resp. ergo ad locum Arist. hoc c. 6. proprium quidē demonstrationis esse vt sit ex necessarijs; sumpto proprio non strictè, sed prout dicit id, quod conuenit Omni, & Semper; de quibus infrà: nam omnis demonstratio semper debet constare ex necessarijs. Si instes, Aristotelem asserere, *non nisi demonstrantem* &c; quæ verba indicant, sic proprium esse demonstrationis constare ex necessarijs, vt soli illi conueniat.

Respondeo, hanc glossam non esse certam, & necessariam. Vel dic, *necessarijs*, referendum esse ad causam conclusionis, vt sit sensus; sola demonstratio constat ex his, quæ sunt causę necessariæ, & per se, & tunc proprium est solius demonstrationis esse ex necessarijs: & hunc sensum magis videtur habere Textus Aristotelicus.

19 Quæres ad hæc, quænam sint, quæ possunt demonstrari? Resp. aliquorum opinionem esse, solas passiones esse demonstrabiles; ducuntur; quia causa formalis est vnicum medium demonstrationis potissimæ, cuius causa proxima est forma, seu essentia iuxta illud famigeratum apud sapientes proloquium *Passio fluit ab essentia subiecti*: hæc responsio est nimis arcta: nam sunt aliquæ passiones prouenientes à causa materiali iuxta omnes; quæ vtique demonstrari possunt per causam materialem: vt verbi gratia, terram esse quantam secundùm aliquos, & substantias esse corruptibiles.

Respondeo ergo; omne id, quod habet causam siue essendi, siue inferendi; siue causa sit formalis, siue efficiens, &c. patet ex dictis, quia demonstratio pōtest à qualibet causa fieri. Addo posse demonstrari etiam aliqua substantialia; vt verbi gratia, hominem esse animal, quia sensibilis: ratio est, quia sensibilitas

tas est quid prius ad esse animal: Et esse animal est effectus formalis sensibilitatis, sicut esse hominem rationalitatis. Vnde & Scotistæ, qui solam formam aiunt medium esse demonstrationis potissimæ, cum nostra coincidunt, velint, nolint, opinione: cùm enim forma eatenus ab ipsis medium ponatur, quia est effectiua passionis, eadem ratione & materia suarum est productiua passionum.

20 Quæres adhuc, Vtrum regressus in demonstratione sit vtilis?

Respondeo, aliquos confundere regressum, & circulum, & vtrunque explodere; alios verò distinguere regressum, & circulū; vt circulus sit processus à causa ad causam, & iterum reuersio ab illa causa ad istam; regressus verò sit processus ab effectu ad causam, & à causa ad effectum: placet distinctio, sed prius membrum non approbatur; quia omnino impossibilis est non solùm regressus à causa ad causam, verùm etiam simplex processus. Omnis quippe processus aut est à causa ad effectum, aut ab effectu ad causam: ergo nullus est à causa ad causam.

Respondeo ergo, Circulum esse, cum primò progredior à causa ad effectum, deinde regredior ab effectu ad causam: verbi gratia *Omne rationale est risibile; Omnis homo est rationalis; Ergo omnis homo est risibilis*, & regrediendo, *Omne risibile est rationale; Omnis homo est risibilis; Ergo;* Regressus verò est, cum primò procedo ab effectu ad causam, deinde retrocedo à causa ad effectum. Prior est inutilis, & impossibilis; quia, cognito effectu per causam, ipsa causa meliùs cognoscitur, vt patet; Ergo non potest iterum cognosci causa per effectum; quia sequeretur, causam esse notiorem, & ignotiorem, quod patet: nam cùm priùs nouerim effectum per causam, ipsa causa erit mihi notior: cum verò iterum eandem per effectum cognosco, est ignotior effectu; quod implicat cōtradictionem. Posterior verò est bonus, & vtilis; quia non implicat contradictionem, effectum primò esse notiorē causa notitia sensitiua, & experientiæ; deinde verò causam esse notiorem simpliciter: ratio diuersitatis in causa, & effectu est, quia quod notius est simpliciter, est notius omnino, non sic quod est notius tātùm secundùm quid. Vtilitas autem regressus est, vt cognita causa per effectum, quoad an est, ipsa causa per discursus intellectus cognoscatur, quò ad quid est, qua cognita intellectus per eam demōstret effectū, exēpli gratia; viso per oculum,

hominem moueri, incipit intellectus ab effectu venari causam illius motus sic: video hunc effectum; Ergo habebit causam: mox quæro, quæ sit ista causa; & nosco esse naturam; tandem cognito, quid sit natura; infero demonstratiuè esse principium motus, & quietis, & cætera.

21 Quæres vlteriùs, Vtrum cognitio causæ per causam, & effectus per effectum possit vocari demonstratio quia. Vt huic dubitationi respondeamus, oportet aduertere, præter geminam illam scientiæ diuisionem: effectus scilicet per causam, & causæ per effectum, dari aliam, qua cognoscitur effectus per effectum, seu causa per causam; quod tunc accidit, quando verbi gratia duæ causæ sunt necessariò connexæ, vel duo effectus ab vna causa pendentes, exempli gratia, quia sol cum homine generat hominem, cognito, hominem generare, inde cognosco & solem: item quia arcus Cælestis, & Serenitas ab vna causa proueniunt, cognito arcu, cognosco inde serenitatem non per suam causam, sed per effectum.

Respondeo, propriè has non esse demonstrationes: ratio est, quia demonstratio aut est à causa ad effectum, aut ab effectu ad causam, in aliis verò potiùs est cognitio per rationes probabiles, aut vt summum necessarias, non autem demonstrantes.

## De Fallacijs, quæ discursum viciatum reddere possunt.

## Cap. XII.

QVanquam malum operari sit ex se vitiosum; malum tamen scire, vt malum deuitetur, bonum est, & commendabile. Quocirca reprehendendi non sunt Dialectici, qui de fallacijs, & vitiosis Argumentationibus accuratè pertractare consueuerunt: namque (vt iam dictum est) malum scire, vt malum fugiamus, & malo remedia adhibeamus, bonum est, & laudabile. Non igitur fallacias introducimus, vt Dialecticos ad eas exercendas inducamus: absit enim, vt Dialectici, maximè autem Christiani, qui primæ veritati adhærentes, semper veritatem disserendo inquirere, & inuenire debent, fallacijs vtantur, vt in errorem simplicium intellectũ deducant; sed eas proponimus, vt aduersariorum (maximè verò Hæreticorũ, qui veritati Catholicę palliatis, fictisque argumentationibus obsistere, eamque ab hominum mentibus conantur auellere)

te) versutias dignoscere valeant.

2 Est ergo fallacia vitiosa ratiocinatio, in qua ex varia, & multigena terminorum acceptione, id quod falsum est, verum enunciatur, quod autē verū, falsum concluditur. Hoc autem contingit, quia terminus æquiuocus est, & vno modo supponit in vna propositione, altero verò in alia: Licèt autem Aristoteles, & communiter omnes Dialectici vberrimè de fallaciis argumentorum agant; quia tamen Recentiores nunquam ferè vtūtur vocibus, quibus Viri illi doctissimi antiquitùs vti consueuerant; (rarò enim apud Recentiores hunc vitiosis argumentationibus occurrendi modum inuenies; quòd scilicet in argumento sit vel fallacia figuræ dictionis, vel accidentis, & cętera) ideo eorum nos instituto, & vsui accommodantes, breuiter ab his fallacijs expediemus, duo solummodò ad fallacias cognoscendas admonentes.

3 Alterum est, semper in argumento tunc esse fallaciam, quando argumentum non est in vna trium figurarum, & in aliquo earum modo; vt superiùs suo loco iam traditum est.

4 Alterum est, omnem ferè fallaciam ex diuersa termini acceptione occurrere; ijdem enim omnino esse debent in omnibus propositionibus. Vnde cum vel minimam contingit in ipsis fieri mutationem, aliqua semper in argumento latitabit fallacia. Hæc autem mutatio multifariàm accidere potest.

Primò, si in maiori propositione sumatur terminus per se, in minori verò per accidens: verbi gratia.

*Omne album est accidens*
*Omnis homo est albus*
*Ergo omnis homo est accidens*

In maiori enim propositione albū sumitur per se, idest prout est album; in minori verò non ita, sed per accidens;

*Homo enim est albus per accidens.*

Secundò, si terminus in vna propositionum sumatur materialiter, in altera verò formaliter; v. g.

*Nullum corruptibile est scibile*
*Omnis homo est scibilis*
*Ergo nullus homo est corruptibilis*

Maior enim vera est, sumendo corruptibile materialiter; conclusio verò est falsa, sumendo corruptibile formaliter

Tertiò, si terminus in vna propositionum sumatur quoad partem subiecti, in altera secundùm totum. v. g.

*Aethiops est albus dentibus*
*Ergo est albus simpliciter.*

Non valet, quia in antecedenti

denti sumitur albedo in parte determinata, nempè in dentibus; in consequentia verò in toto, nempè Aethiope.

Quartò, si terminus in altera propositionum sumatur diuisim, in altera verò coniunctim; sicut in illo vulgato syllogismo.

*Peccatum delet gratiam*
*Contritio delet peccatum*
*Ergo contritio delet gratiam*

Et in hoc

*Malum expellit bonum*
*Sed virtus expellit malum*
*Ergo virtus expellit bonum.*

Quorum fallacia in hoc consistit, quòd plurificatur, & variatur medius terminus: nam in maiori malum sumitur per se, & precisè; in minori verò sumitur coniunctim cum verbo; aliud enim sine dubio est malũ; aliud verò expellere malum.

6 Quintò, si fiat transitus à sensu diuiso ad sensum compositum; ita vt in vna propositione termini accipiantur simul, & compositè; in alia verò secus.

Sextò, si in vna propositione terminus capiatur inadæquatè, in altera adæquatè; vt verbi gratia, *Discursus est obiectum Dialectica*; *sed syllogismus est discursus*; *Ergo syllogismus est obiectum Dialectica*: nam in priori discursus accipitur adæquatè, in posteriori verò inadæquatè.

Septimò, si in vna propositione terminus capiatur simpliciter, in altera secundùm quid; vt Cæsar est Imperator, sed ista figura est Cæsar, ergo ista figura est Imperator; vbi in maiori Cæsar sumitur simpliciter, in minori secundùm quid, idest Cæsar pictus; atque in his omnibus, & cæteris semper cum distinctione respondendum est. Sicut distinguendus est terminus, quando ob æquiuocationem nominis, vel ob accentus varietatem, diuersa significat; & sicut distinguenda est oratio, quando est amphibologica, potestque plures significationes habere. Omnia subtiliter respicienda sunt, & ponderatè distinguenda.

TRACTA-

# TRACTATVS SEPTIMVS DE MEDIO AD DISCVRSVM,

## *IN HOC TRACTATV VIDEBIMVS*



### De modo adinueniendi Medium.

### Cap. I.

PRoloquium currit antiquũ: *Omne tulit punctum, qui miscuit vtile dulci*. Nil sanè in tota Dialectica inuenitur vtilius, quàm modus inueniendi Medium: sed & nihil putarit aliquis ob maximam, quam secum fert, difficultatem iniucundius; ipse propterea faciam, Dei ope, nec difficulter iucundius. Nam sicut & in aliis quampluribus rebus Dialecticis non est ipsa res, sed methodus, quæ in ea explicanda adhibetur, iniucunda: & sanè admiratione dignum est, quàm multa, quàmque difficilia in hoc puncto (quem propterea *Pontem Asinorum* appellant) explicando Dialectici proponant, & corradant Aristotelem Dialecticę Magistrum imitantes. Ego quidem (vt verum fatear) à Dialecticis institutis alienum esse arbitror, ea recensere, quæ isti Recentiores de hac materia congerunt: siquidem mentem magis confundunt, & obruunt, quàm illuminent. Vnde euenire solet, vt plura de Medij adinuentione ante-

horum præceptorum lectionem agnoſcentur, quàm poſt eam ſciantur. Præterquam quod; eſto, aliquis etiam has regulas apprehendat, non ſine multo tamen labore, multoque temporis interuallo ex earum vſu Mediũ Terminum inuenire poterit; cùm nihil aut cogitari difficilius, aut eſſe poſſit inextricabilius. Neque tamen omittendum nobis eſt, quin aliquam regulam aſſignemus, qua quilibet poſſit ad quancunque rem probandam Medium ſine difficultate, ac temporis interuallo inuenire.

2 Supponimus itaque rem ſatis omnibus manifeſtam, hominem ſcilicet, ſicut à natura habet diſſerendi principium, ita & adinueniendi medium habere aptitudinem. Nemo enim, etiã ſi ſit maximè rudis, ingenioque tardus, aliquid vnquam ſibi, aut alijs proponere tentauerit, quin ſtatim, naturali ductus inſtinctu, aliquam rationem ſubiungat: Si quis enim alteri perſuadere voluerit, illud eſſe faciendum, hocve omittendum, continuò cauſam ſubiunget, quia ſcilicet, ſi illud facimus, vel hoc omittimus, hoc, aut illud malum eueniet. Dico igitur, modum adinueniendi Medium eſſe nobis à natura inditum; quia naturaliter eius rei, de qua agimus, aliquam ſemper rationem adducimus; quę ratio adhibenda eſt pro Medio ad id probandum, quod probare intendimus. In quocunque ergo neceſſitatis euentu ſic faciam: Intra me ipſum dicam, quare hoc? vel, vnde illud? & ſtatim reddam rationem, & hanc pro Medio aſſumam ad propoſitionem probandam. Verbi gratia.

3 Volo probare, Hæreticum non poſſe placere Deo, ſtatim intra me dicam; Quare non poteſt? Et continuò ratio aliqua in promptu erit, quia ſcilicet eſt inquietus, vel quia iniuriam illi facit, vel quia Eccleſiam deturpat; quæ omnes rationes Medium ſunt ſufficiẽs ad meam concluſionem probandam, ſic,

*Nullus inquietus poteſt placere Deo*
*Sed omnis hæreticus eſt inquietus*
*Ergo nullus hæreticus poteſt placere Deo.*

Vel ſi probare velim, cras pluuiam futuram, dicam intra me; Vnde hoc ſcis? Ex quo id colligis? Et ſtatim aliquam rationem adducam; puta; quòd vapores eleuentur in aerem; ſicq; argumentum conſtruam.

*Quando vapores eleuantur in aerem, credibile eſt pluuiã venturam,*
*Sed nunc multi vapores eleuantur,*
*Ergo pluuia ventura eſt.*

4 Iſte igitur meo iudicio, & experientia facillimus, & vtiliſſimus

simus est modus adinueniendi Medium nobis à natura impressus; qui vsu,& quotidiano exercitio,ac librorum lectione adeò facilis,& promptus efficitur, vt absque labore, temporisque intermissione Medium ad quamcunque propositionem probandam inueniatur; quod vsu illarum regularum, post multum etiam tempus, ac laborem, vix, aut nunquam potest inueniri.

## Explicantur quædam Maximæ, seu communes propositiones,quarum notitia ad Media adinuenienda,& argumenta construenda materiam Dialectico suppeditabit.

## Cap. II.

IAm vsus Dialecticorum obtinuit, vt aliqua loca, seu Sedes, ex quibus varia deduci possent argumenta in medium adducant;quæ quidem licèt ex aliquo capite magnam possint afferre vtilitatem, quia tamen ferè nunquam accidit, pro Medij inuentione ad has confugere sedes, vt experientia satis compertum est, & aliqua horum locorum adeò sint per se manifesta,vt declaratione non egeant, illis missis, consultius fore adiudicauimus, si in quarundam communium propositionum exæquatione operam nostram impendamus, quarum propositionum cùm frequens sit vsus apud Philosophos, ac Theologos, earum vim,& robur pro viribus declarare conabimur; è quibus in omni proposito multa poterunt ad argumenta conficienda Media deduci.

Hæ porrò propositiones,quæ Maximæ appellantur, cùm sint complexæ, habent principia simplicia, à quibus deriuantur, quæ Principia loci differentiæ Maximarum à Dialecticis propria Nomēclatura appellantur.

2 Prima ergo Propositio sit hæc. *Propter quod vnumquodque tale, & illud magis.* Quæ sic intelligenda est, quando aliquid est causa alicuius effectus in alio, debet in se ipso magis, & perfectiùs illud ipsum habere,quod in alio causat,& efficit, Verbi gratia. Si ignis est causa caloris in aqua, in se ipso magis esse calidus, maioremque debet habere calorem. Fundatur autem in hoc huiusce veritas propositionis, quia id, quod inest alicui per participationem, debet alteri inesse per se;si ergo calor in aqua est calor participatus ab igne, necessariò calor est in igne per se,magis autē abundat vnumquodque in suo principio, & fonte, quàm extra. Hinc est, quòd quælibet entitas, & pulchritudo eminentiùs,& perfectiùs reperitur in *Deo*, qui est pri-

primus fons, primum principium, & prima origo omnis entitatis, & pulchritudinis, quàm reperiatur in entibus participatis.

Ad huius veritatem propositionis multæ requiruntur conditiones. Et Primò, quòd causa sit capax maioris entitatis, & perfectionis eius, quam alteri tribuit. Secundò, vt vtrunque, scilicet causa, & effectus suscipiant magis, & minus; vnde licèt homo habeat esse ab homine, & sit homo per alium hominem, non est tamen alius alio magis homo; quia homo in sua essentia non suscipit magis, & minus. Tertiò requiritur, vt id, quod recipiens accipit, non sit incompossibile tribuenti; ex cuius defectu hæc propositio non est vera:

*Hic est filius propter patrem*
*Ergo pater est magis filius.*

non, inquam, est vera, quia esse filium ita proprium est filij, vt sit incompossibile Patri, vt Pater est. Alias limitationes vide
S.Bon. apud Seraph. in 1.d.12.ar.1.q.2. ad 1.& in 3.d.32.q.5.ad.3.& To-
Tolet. let. 1. Post. q. vnica c. 2. ad vlt.

Ex hac propositione eruuntur aliæ duæ consequentes.

Altera est, causam habere actum, & dominium super effectum; idest causam aut formaliter, aut virtualiter posse super effectum. Altera est, causam non tribuere alteri, quod ipsa non habet aut formaliter, vt ignis respectu caloris; aut virtualiter, vt *Deus*, & aliæ causæ vniuersales suo modo respectu cuiuscunque producibilis.

3 Secunda Propositio. *Quidquid est causa causæ, est etiam causa causati*; seu (quod idem est) *Causa antecedentis est etiam causa consequentis, & Causa prioris est etiam causa posterioris*. Cuius sensus est; id quod est causa alicuius, est etiam causa illius, quod procedit ab illo, seu quod consequitur ad illud. Verbi gratia Generans est causa productiua formæ naturalis in lapide, ergo ex consequenti est causa motus lapidis, qui consequitur ad naturam, cum hac tamen differentia, quòd generans est causa immediata, attingens productionem formæ naturalis in lapide, motus verò lapidis est causa mediata, non attingens immediatè ipsum motum. Fundatur verò veritas huius propositionis in hoc; quia qui dat esse rei, dat etiam virtutem operandi. Hinc optimè in Diuinis dicunt Theologi, Patrem spirare Spiritum Sanctum per Filium; quia Pater communicans Filio suam naturam, communicat quoque fœcunditatem producendi Spiritũ Sanctum.

Duo

Duo autem requiruntur ex D.Bonauent.2.sent.dist.34.p.1. art.1.q.1. ad 4. ad hanc propositionem verificandam. Primum est, vt id, quod causatur a causa secunda, non sit extraneum aut causæ primæ, aut secundæ: vnde quamuis Deus sit causa omnis entis, & causæ; non tamen est causa peccati; quia enti, & causę, vt ens est, & causa, non conuenit peccare, aut deficere. Secundum est, vt non ita sit proprium concausæ, vt causæ primæ conuenire non possit. Exemp. gratia.

S. Bon.

*Deus est causa libertatis arbitrij,*

*Ergo est causa omnis mali procedentis à libero arbitrio.*

non valet; quia malum est omninò incompossibile Deo, propriumque est causæ deficientis, & imperfectæ. Limitat adhuc Tertiò Scotus in 4. dist. 1. q. 4. ibi, *Ad primam ergo quaestionem, &c.* & benè, vt scilicet illud Medium sit causa tertii; si enim non est causa, falsa est propositio. v. g. Cęlum est causa auri; ergo est causa auaritiæ: negatur; quia aurum non est causa auaritiæ.

Scotus

4 Tertia Propositio. *Sicut se habet res ad esse, ita & ad operari.* Quę sic intelligenda est, vt nempè operatio, & actus secundus sequatur naturam essentiæ, & actus primi; vt si res habet esse à se independenter, à se & independenter operetur: Si verò in esse dependet, dependeat & in operari. Vel sic, Quantò ens, & esse rei est actualius, & perfectius; tantò perfectiùs operatur. Vnde Deus, cuius esse est actus purus, & maximæ entitatis, habet etiam maximam virtutem operandi, perfectissimoque operatur modo. Ab opposito autem, Materia Prima, quia est minimæ entitatis, & magis est potentia, quàm actus; ideò minùs agit, imperfectissimoque modo.

Vt vera sit hæc propositio, illud requiritur, vt virtus operatiua veniat intrinsecùs à natura, & entitate. Nam si extrinsecùs addatur entitati, haud omnino veritas propositionis seruatur. Hinc est, quòd causa extrinsecùs coadiuta potest producere supra suam entitatem.

5 Quarta Propositio. *Sicut se habet res ad esse, ita & ad cognosci.* Cuius propositionis hunc esse germanum sensum existimo; vt scilicet in cognitione rei nihil debeat aut addi, aut detrahi ab eius esse, & essentia: quandoquidem perfecta rei cognitio est, quando res ita cognoscitur, sicut in se est. Hinc ex Seraph. Doctore tunc scire rem dicimur, quando ita apprehendimus, sicuti est in se; cognitio namque, & veritas est perfecta conformitas rei cognitæ ad potentiam cognoscentem.

Po-

Potest etiam sic non incongruè explicari; vt scilicet in cognitione sequamur naturam rei, attribuendo pro extraneo, & accidentali id, quod extraneum est; pro essentiali verò id, quod essentiale est, &c. Vide aliam huius propositionis significationem in S.Bon. 1. dist. 36. art. 1. q. 2. ad vlt. S.Bon.

6 Quinta Propositio. *A quo res habet esse, habet & distinctum esse*: seu quod idem est: *Primum constitutiuum est etiā primum distinctiuum*. Quæ ita intelligenda est; res per id distinguitur ab aliis, per quod cōstituitur in esse formaliter: neque enim res potest in se esse vna, nisi sit & ab aliis distincta; ergo quod dat ei esse, simul dat & distinctum esse, quia dat ei vnitatem. Fundaturque in hoc, quòd differentia essentialis non solùm contrahit rem ad suum esse, sed etiam facit ab illis differre: vtrunque enim munus est differentiæ, vt scilicet constituat, & distinguat.

Aduerte tamen ad veritatem huius propositionis tria requiri. Primum est, vt quod dat esse, det esse formaliter, non efficienter: nam res genita habet esse efficienter à generante, non tamen habet esse distinctum per generantem, sed potiùs à propria forma: vnde non valet,

*Homo habet esse à Sole*
*Ergo & distinctum esse*.

At benè valet,

*Homo habet esse ab anima rationali*
*Ergo & per animam rationalem distinguitur*.

Secundum est, vt sumatur proportionaliter hoc modo; quod dat esse genericum, dat & distinctum esse ab aliis generibus; quod dat esse specificum, distinguit specificè; & quod dat esse numericum, distinguit numericè; quod tandem dat esse accidentaliter, distinguit accidentaliter; essentialiter verò, quod essentialiter: Nec obstat quod ait S. Bonau. in 1. dist. 5. quæst. vlt. ad primum, generationem scilicet esse principium distinguendi. S.Bon.

Resp. enim, esse principium per se intrinsecum, quatenus per se terminatur ad distinctam naturam, siue suppositum.

Tertium est, quòd propositio tenet in his tantùm, quæ dant esse absolutè, & constituuntur in esse per aliquid absolutum, non autem in his, quæ constituuntur in esse per aliquid relatiuum, sicut diligenter obseruarunt Theologi in Diuinis, & meritò; quia in relatiuis omnis distinctio est per relationem oppositionis; ideo non est transferenda propositio ab absolutis ad relatiua.

7 Sexta Propositio. *Quidquid potest virtus inferior, potest & superior*: Quæ sic intelligenda

da est, vt scilicet id, quod est maioris virtutis, possit id, quod potest illud, quod est minoris perfectionis, & virtutis S. Bon. in 2. dist. 27. art. 2. quæst. 1. ad 2. & dist 8. par. 1. art. 2. quæst. 1. ad vlt. & dist. 21. art. 3. q. 1. ad pænult. & in 4. dist. 6. par. 1. art. 1. quæst. 4. ad 3. Ad cuius veritatem propositionis requiritur, vt vtriusque virtus ordinetur proportionaliter. Ratio est; quia inter virtutem operantem, & effectum producibilem debet esse proportio, sic S. Bon.

*Si Terra potest sibi simile in natura producere*

*Multò magis Ignis, qui maioris est virtutis.*

Vel sic potest intelligi, vt vtraque virtus respiciat ex se idem obiectum; vt,

*Si oculus infirmus potest videre.*

*Multò magis poterit oculus sanus.*

Non tamen valet

*Oculus infirmus potest videre.*

*Ergo multò magis poterit videre auditus sanus.*

Non valet, inquã, quia aliud est obiectum potentię visiuæ, & aliud auditiuæ.

Vel denique potest intelligi de virtute superiori, & prima causa, scilicet Deo, respectu causæ inferioris, & secundæ; & sic propositio habet veritatem simpliciter; quia

*Quidquid potest efficere creatura,*

*Potest & faciliùs Creator operari.*

8. Septima Propositio.

*Summum in aliquo genere continet omnes perfectiones illius generis*. S. Bonau. in 2. dist. 18. par. 1. art. 2. q. 3. quę ita intelligenda est, vt per primum, & summum sumatur primum, & summum in perfectione, non autem in ordine aut naturæ, aut temporis. In Genere nanque Substantiæ, Substantia est primum, & summum in ordine naturæ, quia ordine prima est, non tamen in perfectione, quia non continet perfectiones omnes illius generis; Substantia enim præcisè præscindit à corpore, à viuente, & à reliquis inferioribus prædicatis. At Substantia in ordine perfectionis; vt Petrus, & quælibet substantia prima dicitur primum, & summum in perfectione; quia continet omnes perfectiones, & prædicata Generis Substantiæ; ita vt Petrus sit & corpus, & viuens, & animal, & rationalis: nomine autem Generis non intelligitur tantum Prædicamentum, sed etiã Genus quandocunq; aliud. Fundaturque veritas huius propositionis in hoc, quòd non est peruenire ad primum, & summum nisi per media: idcirco non potest aliquis esse aut Homo, aut Leo, nisi priùs sit & substan-

S. Bon.

Arist. stantia, & corpus, &c. Hinc est, quòd Philosophus dicebat, hominem priùs esse plantam, postea animal, denique hominem. Ex quo sequitur id, quod ferè in prouerbium versum est, vt non sit status nisi in primo, & summo, ad quod reliqua omnia illius Generis ordinantur, sicut imperfectum ad magis perfectum: ordinatur enim substantia ad corpus, corpus ad viuens, & sic deinceps vsque ad primam substantiam, puta Petrum, in qua est status, & quies. Nec solùm Genera, sed etiam Differentiæ, & principia ordinantur ad primum, & summum, in quo omnia prædicata vnita reperiuntur.

Aduertendum autem, primum, & summum continere omnes perfectiones aut formaliter, aut eminenter. Formaliter quidem, vt Petrus, qui continet in se omnia superiora prædicata. Eminenter verò, vt Anima rationalis, quæ eminenter continet & vegetatiuam, & sensitiuam.

9 Octaua Propositio *Quidquid recipitur, ad modum recipientis recipitur*. S. Banau. in 1. dist. 37. par. 1. ar. 3. quæst. 1. ad vlt. & in 2. dist. 2. par. 2. ar. vlt. quæst. 3. ad 2. Idest, id, quod in alio recipitur, conformat se ei, in quo recipitur; vt si aqua recipitur in vase circulari, accommodat se in modum circuli; si in triangulari, ad modum trianguli, & sic de reliquis; vt si cibus dulcis recipitur in labijs infirmi amaris, sapit amaritudinem. Hincque dignoscitur causa, cur maligni omnia in malã partem recipiant, finistrèque omnia iudicent; quia eorum iniquitas, & peruersitas omnia ad naturam malignitatis conuertit: sicut ex aduerso boni omnia æquè, benèque iudicant.

S. Bon.

Porrò ad huius veritatem propositionis requiritur Primò, vt id, quod recipitur, dependeat ab eo, in quo recipitur; cuius defectu Angelus receptus in loco quanto non est quantus. Requiritur Secundò, vt id, quod recipitur, sit inferioris virtutis; cuius defectu si magna dulcedo recipitur in modico amaro, non conuertitur ad modum amari, sed potiùs amarum ad modum dulcedinis. Ratio est, quia virtus dulcedinis præponderat. Tertiò, vt id, quod recipitur, habeat se ad modum cuiusdam informantis.

Et aduertendum est, standum esse verbis propositionis; id quod multi nõ aduertẽtes, crebrò decipiuntur, existimantes id, quod recipitur in alio, induere naturam alterius; cùm tamen propositio non naturam, sed modum recipientis imitari dicatur. Ex quo liquidò apparet eorum deceptio, qui Animam

mam rationalem esse quantam hac ratione probare nituntur, quia recipitur in corpore quanto; cùm tamen ex veritate propositionis sufficiat, vt ad modum quantitatis, non ad naturam extendatur: Quod accuratè obseruauit Seraphicus Doctor. Idem dicendum de Angelo in loco, seu corpore quanto recepto.

10 Nona Propositio. *Frustra est illa potentia, quæ nunquam reducitur ad actum*. Sanctus Bon. in. 1. dist. 45. artic. 1. quæst. 3. ad 4. & in 3. dist. 1. art. 2. quæst. 2. ad 2. Quę propositio vt sit vera, intelligenda est de potentia determinata, & proxima, non autem de potentia indeterminata, & remota, neque de potentia indifferente, & libera, quæ nunquam ad tot extenditur, quin ad plura semper extendi possit; siue sit actiua, vt voluntas; siue passiua, vt potentia materiæ: Ratio diuersitatis est, quia potentia proxima est propter eum actum præcisè; non autem remota, & indeterminata, neque indifferens, & libera; Oportet etiam, vt ea potentia sit propter actum solum; alioqui non erit frustra; etiamsi nunquam reducatur ad actum.

S. Bon.

11 Decima Propositio. *Ens, Vnum, Verum, Bonum conuertuntur*. Quod intellige logicè, non autem formaliter. Idest, quia semper inseparabiliter se comitantur, & sequuntur; ita vt valeat logica consequentia,

*Ens est.*

*Ergo vnum; ergo bonum &c.*

Nunquam enim aliquid est verum, quin sit & ens, & bonum &c. Attende autem hæc sic se inuicem comitari, vt seruent proportionem, vt quantum quid verb. gr. habet de entitate, tantundem habeat de bonitate, &c.

12 Vndecima propositio. *Species sunt sicut numeri*. Idest, essentiæ rerum siue specificæ, siue genericæ ita consistunt in indiuisibili, vt quacunque vel minima variatione facta circa essentiam, siue per ablationem, siue per additionem, varietur omnino aut Genus, aut Species eodem modo, quo, si numero fiat aliqua aut additio, aut diminutio, mutatur numerus. verb. gr. Si numero ternario fiat additio, aut diminutio, non est ampliùs numerus ternarius, sed aut binarius, aut quaternarius, &c. Hinc optimè deducunt Doctores, impossibile esse reperiri duas distinctas Species ęqualiter perfectas. Hinc etiā colligitur, qua ratione Substantiæ non suscipiant magis, & minus: de quo in secunda parte Summæ Philosophicæ.

13 Duodecima Propositio. *Nihil est in intellectu, quin priùs fuerit in sensu*. Idest, non potest intellectus aut intueri,

aut

aut speculari, aut deducere aliquid de aliquo, quod non sit ei priùs per sensus delatum. Ad cuius veritatem duo obseruanda sunt: Primum est, quòd propositio intelligatur de intellectu, prout est vnitus corpori, qui per sensus rerum species mēdicat. Secundum est, quòd intelligatur de obiectis extrinsecis, non autem de his, quæ sunt seipsis intellectui præsentia: quod latiùs à nobis explicabitur libro sequenti. Et pro nunc tantùm dicimus, id debere intelligi naturali ordine, non supernaturali.

14 Tertiadecima propositio. *Corruptibile, & incorruptibile differunt genere*: Quæ sic intelligenda est, vt sint tanquam signum, & ostensiuum differentiæ essentialis inter ens corruptibilitati subiectum, & ens à corruptibilitate seiunctū. Ad veritatem autem huius propositionis requiritur, vt corruptibilitas, & incorruptibilitas insint subiecto intrinsecè, & per se, vt luculenter docet Seraphicus Doctor lib. 2. dist. 27. artic. 1. quęst. 3. ad 4. Crederem autem nomine Generis in præsentiarū intelligi rectiùs naturam, quàm Genus, vt sit sensus *Corruptibile, & incorruptibilè differunt natura.* Nam in Genere Logico sæpè sunt idem; vt patet de corpore Cælesti, & Sublunari, quæ in genere conueniunt, & si differant natura. Vide Seraphicum. S. Bon.

15 Quartadecima Propositio. *Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem & inter se* Sanctus Bonauentura in 1. dist. 33. quæst. 3. ad. 1. Idest quando aliqua reperiuntur, quæ identificantur cum aliquo tertio distincto, identificantur etiam inter se; immò omnia illa sunt eadem, si identitas respiciat essentiam; æqualia, si quantitatem; similia verò, si qualitatem. Ad cuius veritatem requiritur Primò, vt sit omnimoda identitas extremorum in tertio. Secundò, vt identitas, qua conueniunt in tertiò, proportionaliter accipiatur & inter se; vt si conueniant in tertio specificè, conueniant & inter se specificè; si conueniant genericè, identitas sit generica; si in subiecto, identitas sit subiecti, & sic deinceps. Vnde non valet. S.Bon.

*Pater, & Filius in Diuinis conueniunt in essentia.*

*Ergo sunt idem & in Persona*

Nec valet,

*Albedo, & dulcedo conueniunt in subiecto,*

*Ergo identificantur ad inuicem essentialiter.*

quia fit transitus ab identitate subiecti ad identitatem naturæ.

16 Quintadecima Propositio: *Essentiæ rerū sunt æternæ*: Cuius propositionis sensum, ac intelligentiam non est facilè verbis

bis explicare, cùm diuersimodè à diuersis inueniatur explicata. Alij enim propterea dicunt, rerum essentias esse æternas, quia sunt æternę veritatis; esse autem æternæ veritatis nil aliud esse affirmant, quàm quòd res habeant esse obiectiuum, & intelligibile in Deo ab æterno, secundùm quale esse cognitæ fuerunt æternaliter à Diuino intellectu, & aptæ fuerunt cognosci à quocunque alio intellectu creato, si ab æterno extitisset. Alij arbitrantur, essentias rerum esse æternas, quia res habent esse ideale in Deo ab ęterno, quod esse nuncupatur intelligibile; ex quo ortum habuit communis illa Mundi distinctio, Mundi scilicet Archetypi, & intelligibilis, ac Mundi sensibilis; de quibus pleniori stylo tractatur à nobis in Libris de Cęlo. Hæc ex aliorum sententia dicta sufficiant.

17 Cęterùm, cùm istæ expositiones non videantur ad mētem Aristotelis, cęterorumque Philosophorum; cùmque valde dubium sit ac controuersum, cognouerint ne illud esse intelligibile, ac ideale in Deo, nec ne; & nihilominus frequens sit apud eosdē huius propositionis vsus, aliter aperienda est: Arbitror igitur, in Philosophorum sententia hunc esse propositionis sensum; vt propterea dicantur essentiæ rerum æternæ, quia sunt incorruptibiles, ad distinctionem existentiarum, quæ sunt corruptioni, ac variationi obnoxiæ. Et ad hoc asserendum moueor ea ratione, qua Philosophus de Scientia rerum disserens, eanque dari demonstrans (vt communi occurrat obiectioni, quòd scientia non nisi de re inuariabili habeatur) ait, verum esse: mox verò adiecit, res omnes quo ad essentiam esse inuariabiles, perpetuas, sempiternas, ac necessarias; licèt quo ad existentiam multæ earum sint corruptioni subiectæ. Quare hęc propositio apud Philosophum intelligenda est de essentiis abstractè, quarum esse est sempiternum, & inuariabile, quia omnibus etiam singularibus abolitis, verùm est hominis, verbi gratia, essentiam in rationalitate consistere; quo sensu verum est, singula indiuidua vnius speciei posse perire, species autem nullo modo deficere. Et hęc quo ad Philosophos. *Arist.*

18 Sed enim dignum est, vt altiorem huius propositionis sensum ex Theologia perscrutemur, quem hunc esse haud dubiè opinor, vt non ea sola ratione essentiæ rerum censeantur æternę, quia fuerint ab æterno cognitæ à Diuino intellectu, & ab alio quocunque aptæ cognosci: neque ea duntaxat, quia habent esse ideale, & intelligibile; etenim sola Dei cognitio

non

non facit aliquid esse æternum; quod ex eo lucet, quia rerum possibilium, quarum esse ideale, & intelligibile in Diuina mente existere, nullus eorum, qui res actu futuras esse æternaliter à Diuino intellectu perspectas affirmant, est, qui eat inficias. Vnde benè ait S. Bonau. in 1. dist. 35. dub. 5. liter. solam, ac simplicem Dei notitiam nil ponere rei in suo esse neque de præsenti, neque de futuro. Deindè, quia aliud est, res habere similitudinem in Deo, & ideam; aliud, habere essentiam: vnde solas res actu futuras, non verò possibiles esse essentialiter æternas existimo. Licèt enim essentia vt sic non importet actum rei, cuius est essentia, ordinem tamen dicit ad actualē existentiam, cùm essentia sit propter existentiam.

S. Bon.

19 Primò ergo, vt à negatione vnius ad affirmationem alterius deueniamus, non est ita intelligenda præfata propositio, quasi aliquid reale creaturarum ab æterno existere significetur; verùm hunc esse genuinum illius propositionis sensum opinor, vt cum Dei notitia simul etiam ipsius ordinationem importet. Eapropter scire necessarium est, Deum ab æterno se ipsum perfectissimè cognoscere, non tantùm in ordine ad seipsū ad intra, verùm & in ordine ad alia ad extra. Verbi gratia Deus ab æterno nouit, essentiam suam esse communicabilem; & non solùm esse communicabilem in communi, sed etiā tali, ac tali modo. Ex hac autem pura notitia adhuc res nihil, quò ad earum essentiam, acquisierant, quia simplex notitia nihil parit ad extra: Addita est postmodum Diuinæ voluntatis ordinatio, qua decreuit ab æterno seipsum creaturis communicare eo omni, & solo modo, quo ipsi placet; ex qua ordinatione determinata est, & assignata quoquo modo singulis rebus essentia; puta homini rationalitas, &c. Cùm autem essentia cuiuscunque rei sit illa, quam à Deo ascriptam æternaliter habuit, factùm est, vt essentiæ rerum fuerint æternæ: Ita vt ad Diuinæ volūtatis ordinationem magis, quàm ad Diuini intellectus cognitionem æternitas essentiarum rerum referenda sit. Cumque illa ordinatio sit immutabilis, facta quacunque mutatione in rebus ipsis actu existentibus, nulla tamen cadit mutatio circa essentiā: vnde postea ortū est, vt sēper verū fuerit, & sēper verū futurū sit, hominē v. g. esse essentialiter rationalem, seu essentiam hominis in eo sitam esse, vt sit rationalis; etiamsi nullus de facto homo existat: sed de his plura suo loco in Philosophia, aut Theologia.

20 Sexta decima propositio. *In æternis idem est esse, & posse.*

Mul-

Multa de huius sensu propositionis exarata reperies apud Doctores, quæ, saluo semper meliori iudicio, ac debita in omnes reuerentia, videntur mihi non parùm à veritate abhorrere. Ipse quidem existimo, hanc propositionem geminam posse suscipere expositionem. Alia est, quam in simili tradidi de Ente, & Vero; vt idem non respiciat identitatem rei, sed simultatem existentiæ, & durationis. Verbi gratia. Si aliquid est ab æterno, simul ac potuit esse, actu fuit; ita vt potentia non præcesserit actum; quia vbi datur prius, non est æternum. Ergo est sensus, non priùs esse potentiam rei æternæ ad esse, quàm naturam, sed simul; ita vt eo ipso, quòd potuit esse, actu fuerit, quia non est locus successioni. Alter sensus est, vt sumatur formaliter; idest, in æternis idem est posse, & esse; quia esse Dei, & posse Dei, qui solus est æternus, idem formaliter sunt.

21 Decima septima Propositio. *Nullum violentum perpetuum*. Ad quam intelligendam illud solum videtur obseruandum, *Violentum* posse bifariàm vsurpari. Primò, prout opponitur naturali; vt illud sit violentum, quòd non est à natura. Secundò, prout opponitur naturali appetitui, & propensioni. Et quidem de violento postremo vera est simpliciter; quia non potest aliquid perpetuò durare, quod existit contra suum appetitum: Immò non solùm semper, sed neque longo tempore, vt experientia satis manifestè apparet. De violento autem priori non credo verificari simpliciter propositionem; siue enim res naturaliter, siue violentè existat, dummodo illa violentia non obluctetur appetitui, & inclinationi, non impedit quominus res sit perpetua, vt est motus circularis ignis in orbem, & rotæ, quem non repugnat esse perpetuum, si sit virtus perpetuò mouens, vt notauit S. Bonauentura in 4. dist. 48. art. 2. quæst. 2. Quare propositio de illis tantummodò vera erit, quæ ita sunt violenta, vt appetitum innatum offendant. S.Bon.

22 Decima octaua Propositio. *Magis, & minùs non variant Speciem*. S.Bon. in 2.d. 30. ar. 2. q. 1. ad 2. & d. 42. a. vlt. q. 1. ad vlt. Cuius sensus talis est, vt nimirum magis, & minùs in eadem re circa accidentalia non mutent essentiam. Ratio est, quia in accidentibus dantur gradus, seu partes, quæ cùm sint homogeneæ, & eiusdem naturæ, possunt earum quędam addi, quædam auferri abs- S.Bon.

H que

que detrimento specificæ perfectionis. Exemplum sit de calore, qui in duobus gradibus eiusdem naturæ est, ac in vno, & in tribus. D. Bon. duplicem addit limitationem huic propositioni. Altera est, vt non trahatur ad mores: nã in his, quę mores respiciunt, magis, & minus variant Speciem aliquando: ita vt amor Creaturæ supra Deum sit peccatum mortale; idem verò amor inordinatus quidem, sed infra Deum sit solummodo veniale. Altera est, vt magis, & minus sumantur intra terminos, non non vltra. Verbi gratia, gradus caloris sint ad summum quatuor; intra hos quatuor gradus magis, & minus non variant speciem caloris: at vltrà variant; puta calor vt quinque; & in hoc sensu intelligendus idem S. Doctor, quando dixit, calorem vt quatuor specie differre à calore vt tres. Nam supponit in exemplo, summum gradum caloris esse vt tres; vnde calor vt quatuor est vltra termini latitudinem. Clariùs exemplum petitur in re morali, vt vendere rem intra summam precium, & infimum nullum peccatum est; at vendere vltra summum, vel infimum, peccatum est. Vide aliam etiam limitationem apud eundem Sanctum Doctorem in 3. dist. 9. art. 2. quæst. 4. ad vlt. S. Bon.

23 Decima nona Propositio. *Generatio vnius est corruptio alterius*: Cuius sensus cùm à nobis fusiùs in libris de Generat. declaretur, illud in præsentiarum solùm aduertimus, intelligendam esse successiuè, & in sensu diuiso; vt scilicet ad vnius corruptionem sequatur alterius generatio; & vice versa, ad vnius generationem alterius corruptio. Deinde, vt vera sit in his solùm, quę simul reperiri repugnat, & quæ sunt ambo quid positiuum; cùm sola positiua nõ priuatiua corruptioni subsint, ac productioni. Tertiò, vt non extendatur ad alias factiones, aut destructiones, quàm ad veram generationem; cùm veritas illius eo nitatur fundamento, ne scilicet materiam omninò à forma separatam inueniri contingat.

24 Vigesima Propositio. *Actiones sunt suppositorum*: Circa quam propositionem, quam tradit Philosoph. 1. Metaph. c. 1. illud cum primis valdè accuratè obseruandum est cum Scot. in 4. d. 12. q. 3. ad 2. princip. non præfatis verbis esse propositam, vt cõmuniter asseritur in Scholis, sed alijs, nempè, *Actiones, & passiones sunt circa singularia*. Vnde & longè diuersum suscipit sensum. Nam si, vt proposuit Aristoteles, sumamus, arduum non est germanum illius sensum de mẽte eiusdem explicare; vult Arist. Scotus

enim

enim Philosophus his verbis insinuare, tam ea, quæ agunt, quàm ea, quæ patiuntur, & circa quæ versatur actio, & passio, esse singularia, non vniuersalia; vt exemplum ab ipso deductum candidè demonstrat; ait, hunc Medicũ curare hũc hominẽ particularem, & curationem esse huius Medici singularis, nõ vniuersalis, circa hunc hominẽ singularem, non circa hominem vniuersalem. At verò si communem, ac vulgatam sequamur aliorum literam, non est adeò certum, quomodo intelligenda sit. Enimuerò aliqui volunt, actiones esse suppositorum tantùm denominatiuè; vt scilicet denominetur suppositum agens, puta homo intelligens; cùm tamen non homo, sed anima intelligat. Alij dicunt, propterea actiones dici suppositorum, quia licèt forma sit principium Quo, tamen suppositum est principium actionis Quod: qui sensus mihi videtur verosimillimus quantùm ad hoc posterius pronunciatum; nam verè homo elicit actus intellectionis, amoris, &c. Quantùm verò ad priorem propositi partem pertinet, nobis nulla ratione probatur; cùm potiùs forma, & natura sit, vnde suppositum habet, vt agat, non autem principium, quo agit, vt cumulatiùs ediſſeremus in Physicis; non propterea tamen negatur, etiam formam, aut naturam, si à supposito separata per Diuinam conseruaretur potentiam, non posse operari; sed non quærimus, quid sit possibile fieri, sed quod de facto fit.

25 Vigesima prima Propositio; *Actus actiuorum sunt in patiente disposito*: Quæ mihi maximam videtur habere propinquitatem cum Octaua, in qua asseritur, *Quicquid recipitur, ad modum recipientis recipi*: Verum tamen est etiam, non esse omninò eandem. Quare sensum eius prodamus. Sensus itaque est, virtutem causæ efficientis talem gignere in subiecto effectũ, qualis est dispositio in illo subiecto reperta. v.g. Lux in Cælo gignit lucem, in aere calorem, & lucem, quia aer susceptiuus est caloris ac lucis, non sic autem Cęlum. Vnde effectus talis magis ex dispositione materiæ, quàm ex efficientis influxu pendet.

26 Vigesima secunda Propositio. *Posita causa, ponitur effectus*: &, *Remota causa, remouetur effectus*. Quære istius sensum 1. par. Summ. Philosoph. ad Secundum Physicorum.

27 Vigesima tertia Propositio. *Omne per accidens reducitur ad per se*; &, *Omne posterius ad prius*; &, *Omne compositum ad simplex*; &, *Omne imperfectum ad perfectum*: Quæ omnia eo sensu accipienda sunt, vt nimirũ

per accidens, &c. reducantur, non quasi formaliter, quasi per accidens fiat; aut transeat ad per se, sed ordinaliter, quatenus scilicet Omne per accidens supponit per se, & Omne posterius prius, & compositum simplex: neque enim daretur compositũ, nisi esset aliquid simplex, ex quo componitur, & ad quod reducitur: &c.

28 Vigesima quarta Propositio. *Destructo superiori, destruitur & inferius*; &, *destructo simplici, destruitur & compositum*; &, *destructo per se, destruitur & per accidens*: Quę ad prioris explicationem intelligenda est; quia enim posterius non est sine priore, nec compositum sine simplici; ideo destructo priori, destruitur & posterius, &c. Illud autem obseruandũ, vt vera sit propositio, prius, & posterius, &c. debere esse ordinata.

Iam verò modus ad differendum per has, similesque propositiones adhibendus, est. Vt ex generali propositione tanquam antecedenti deducatur peculiaris conclusio, eam applicando ad materiam, de qua agitur. Verbi gratia. Volo probare, motum lapidis sursum non posse durare; vtar decima septima Propositione, quæ dicit; *Nullum violentum esse perpetuum*; sic,

*Nullum violentum est perpetuum.*
*Sed motus lapidis sursum est violentus*
*Ergo motus lapidis sursum non erit perpetuus.*

Ex hac eadem propositione probare possum, motum Cęli nõ esse violentum; sic,

*Nullum violentũ perpetuũ,*
*Sed motus Cæli est perpetuus,*
*Ergo motus Cæli non est violentus.*

Item volo probare generans esse causã motus in genito, vtar secũda Propositione, quę dicit; *Quidquid est causa causæ, est etiam causa causati*; sic,

*Quidquid est causa causæ, est etiam causa causati;*
*Sed generãs est causa motus in genito; quia generans causat naturã, quæ est causa motus:*
*Ergo est etiam causa causati, idest motus.*

## De Auctoritate.

## Cap. III.

Modum ab auctoritate arguendi satis quidem proficuum, & vsitatum, non ea tamen, qua par est animi gratitudine à plerisque susceptum, iis perspicuum esse opinor, qui in Sacris nedum, sed etiam humanis, profanisque literis sunt versati. Vnde propterea D. Bonauent. S.Bon.

D.Hier. uent, Opusc. 1. secutus D.Hieronymum,ait: Id,quod absque auctoritate proponitur, ea facilitate retrudi, & contemni, qua pronunciatur, nisi fortè sit valida ratione suffultum: Additque, licèt argumentum ab auctoritate infirmum, & inartificiale appelletur, pro eo quòd non propria ratione, sed aliunde parato vtatur testimonio; plerunque tamen auctoritate proborum mentem, & intellectum ad assensum faciliùs inclinari. Nanque, vt D.Aug. auctor est D. August. apud S. Bonauent. recensito loco; Auctoritas pondus est, quod animum inclinat, maximè si graue est,. Age itaque optimè pretium fuerit, huic de discursu Tractatui modum ab auctoritate arguendi intexere; ne ex illius ignorantia aut pluris,quàm conuenit, aut minoris,quàm decet, habeatur.

2 *Est autem Auctoritas probati alicuius dictum, vel pronunciatum ad aliquid persuadendum ab alijs assumptum*. Ex cuius descriptionis notitia pendent vniuersa, quæ de Auctoritate dicenda in præsentia occurrunt.

Dicitur Primò, *dictum*: neque enim quod intus quis retinet, ad auctoritatem potest adduci, cùm nobis sit occultum: Dicitur etiam, *dictum*, vt distinguatur à facto. Nam cum facta proponimus, exemplum potiùs, quàm auctoritatem exprimimus. In dicto autem includimus etiam scriptum.

Dicitur Secundò, *alicuius*, non vt excludatur numerus pluralis; cùm, vt infra, plurium in vno dicto consensus non modò non minuat, verùm etiam plurimum auctoritati roboris accrescat.

3 Dicitur Tertiò, *probati*; quo verbo duo indicantur, vt colligo ex D.Bon.in 1. d.2. dub. 1.alterū respiciens intellectum, alterum affectum;vt videlicet sit probitas dicentis in intellectu, quatenus scilicet sit in scientiis versatus,& multo lumine repletus, quo mediante, veritatem valeat intueri: & probitas in affectione, quatenus inordinata affectio mentem non obruat; ita vt etiam veritatē cognitā nolit declarare: licèt enim quis summa possit ingenij laude florere, etiam si prauis moribus sit imbutus; nihilominus certum est, inordinatam cordis affectionem multorum esse matrem errorum;cùm potiùs affectio,& phātasia,quàm veritas quæratur, vt inquit S.Bonauent.in expositione Prologi Magistri dub. 3. literali, quæ affectio peruertit iudicium rationis. Quanta autē debeat esse ista probitas,vix potest verbis explicari. Illud certum est, quantò maior pro- S. Bon. S. Bon.

 bitas

bitas in dicente perspicitur, tantò maioris ponderis ipsius auctoritatem æstimandam. Non est autem silentio transeundum, probitatem rationis, quæ in auctoritate exigitur loquentis, metiendam esse iuxta valorem, & excellentiam illius scientiæ, & artis, in qua sumitur auctoritas. verb. gr. si in arte Medicinæ auctoritatem alicuius voluero citare, satis erit, vt artem Medicinæ calleat; si in Philosophia, vt in ea exercitatas habeat potentias, & sic de alijs. Hanc cautelam summoperè coluere cum omnes aliorum testimonia appositè proferentes, tum præcipuè duo illi sacræ Theologiæ parentes, Sancti, inquam, Bonauentura, & Thomas. Ille enim cum subtiles præ manibus habet quæstiones aut Theologicas, aut Philosophicas, Aristotelem, & S. Augustinum cum primis testem vocat; quorum præstantia in arduis difficultatibus dirimendis, nunquam sufficienti hominum præconio poterit celebrari. Cum verò spiritualia pertractat, omnibus alijs præsertim Philosophis posthabitis, Sanctos Bernardum, Anselmum, & alios id genus Patres adducit. Idipsum semper magno studio obseruauit & Angelicus Doctor. Nanque 2. 2. vbi de virtutibus, vitijsque agit, sæpè sæpiùs Cassianum, S. Benedictum, aliosque Patres Eremi cultores proponit; in alijs verò, vbi quæstiones Metaphysicas, Physicas, & Theologicas versat, ijs relictis, Aristotelis, & Augustini, aliorumque testimonio vtitur. Addo, experientiam, & exercitium ad res scitè percipiendas plurimùm conferre, præcipuè in moralibus: Vnde in his, cæteris paribus, præferendus est Confessarius, in confessionibus audiendis iugiter intentus, alijs non ita exercitatis, quamuis alioqui ingenio valeant. Hinc Nauarri, Siluestri, Toleti auctoritas apud nostræ tempestatis Doctores plurimū valet, quippe qui in casibus conscientiæ mirificè sunt exercitati. Quò ad rectitudinem affectionis illud cauendum est, ne personarum simus acceptores, cùm id plurimùm veritati obesse dignoscatur: vndè talium auctoritas facilè à Scholis propulsatur.

Dicitur Postremò, *ad persuadendum assumptum*, vt finis auctoritatis ostendatur, qui est probare, & persuadere.

4 Iam verò duplex in communi consueuit auctoritatis genus assignari; vt alia sit *Diuina*, in qua Diuinum profertur testimoniū; alia humana, in qua hominis dictum citatur. Ad Diuinam rediguntur siue ea, quæ ore proprio nobis Deus protulit; siue ea, quæ per alios locutus est; vt quicquid aut ore proprio prolatum, aut alijs fuerit reue-

latum

latum, ad Diuinam referendum sit auctoritatem, vt sunt Oecumenica Sanctæ Ecclesiæ concilia, Sanctiones Summ. Pontific. totius Ecclesiæ antiquata traditio, Sanctorum Patrum vnanimis consensus, in primis verò Canones Sacrorum Bibliorum: Tantaque est Diuinæ auctoritatis veritas, & certitudo, vt nihil aut verius dici, aut firmius possit excogitari; quia Deus suorum auctor dictorum, cùm sit ipsamet veritas, & bonitas, nec ipse decipi, nec alios vlla potest vnquam ratione decipere. Sed
S. Bon. de hac re legendus est D. Bonauentura in præludio Opusc. Ad humanam reuocantur ea, quæ humano proferuntur eloquio, vel etiam Angelico. Nam cùm Angeli siue boni, siue mali sint creaturæ, humano more loquuntur; nisi fortasse ex Dei iussione, & peculiari reuelatione aliqua nobis aperiant.

## Quanti facienda sit Auctoritas, & quomodo adhibenda?

## Cap. IV.

DVo nobis hoc loco extrema vitiosa oppidò præcauenda sunt. Alterum est eorum, qui nullius pensi auctoritatem habentes, eis etiam, qui ea vtuntur, inuident, quorum vestigia nulla sunt via sectanda; quippè cùm cordati hominis sit semper aliorum dicta, ea qua conuenit, animi gratitudine reuereri. Aliud est eorum, qui aliorum dictis sunt adeò tenaciter addicti, vt nil aliud, veluti quidam Pythagorici in opinionibus seligendis, quàm auctoritatem respiciant. Vsus profectò quantò in indoctis, ac rudibus laudabilior, tantò in sapientibus reprehensibilior.

2 Ne igitur in hac re tanti momenti error contingat, illud in primis obseruandum est, vt omnes Diuinæ assurgant auctoritati, firmam fidem habeant, ceruicem flectant, & in eius obsequium intellectum redigant, cùm omni rationi, demonstrationi, & aliorum auctoritati, peritiorum iudicio, ac saniorum sententia præualeat. Vndè Constitutiones nostræ, adhortantes sacros Verbi Dei côcionatores, vt Christi, & Dei auctoritatem, aliorum dictis reiectis, adducant, eam assignant rationem, quam tangit etiam S. Bon. quæst. 2.
Prologi ad 2. quòd nempè Dei auctoritas omnibus Mũdi rationibus incomparabiliter præeminet, & auctoritatibus præponderat. Hinc Sanctissimus, & sapientiss. Pontifex Leo, Diuinam tractans auctoritatem, hæc scripts commendata reliquit. Cum ad intelligenda Diuina Mysteria accedimus, abigatur procul ter- S.Bon. S. Leo Papa.

renarum caligo rationum, & ab illuminato oculo fidei humanæ sapientiæ fumus abscedat; Diuina est enim auctoritas, cui credimus. Hæc, & his similia S.Leo. Quibus hoc vnum, quod mihi videtur memoria dignum, coaptari potest, depromptumq. ex D.Bonau. vbi sup. & est Dei nomen, cum ad auctoritatem assumebatur, haud assuetum fuisse communibus literis inscribi, sed illis aureis characteribus, quibus nomen magnum Thetagrammaton olim à Iudæis intexebatur, vt inde inferre libeat, quanta reuerentia explicitis mētis finibus suscipienda essent, quæ Diuino ore hominibus concredebantur.

3 Quòd si humana proferatur auctoritas, illud secundò seruandum est, vt simplicem auctoritatem nulli rationi firmę innixam optimis, ac validis rationibus postponamus, Siluest. verb. Doctor. dub. 7. & verbo, Opinio quæst. 2. Cùm propterea auctoritati, aliorumque dictis sistendum sit, quòd rationabiliter locutos fuisse credatur. Sin verò auctoritati rationes adiungātur; auctoritas tantùm præstare debet, vt opinio auctoritate, & rationibus probata certior, ac tutior habeatur; præsertim si in eam multi grauesque Doctores vnanimiter conspirent; ita vt à communi sententia ob quancūque exilem rationem, ac apparentem imaginationem facilè recedendum non sit: Multiplicitas siquidem asserentium valde probabilem facit sententiam. Vnde etiam quando necessitas cogit, vt à communi ob graues, quas præ manibus habemus, rationes recedamus, semper cum timore, ac cautela præstandum est, metuentes, ne propria affectione magis, quàm ratione in illam assertionem trahamur; nunquam aliorum dicta, & maximè Sanctorum carpentes; sed potiùs magna reuerentia prosequētes, ad imitationem cum Seraphici, tum etiam Angelici Doctoris, qui, si quando Sanctorum dictis occurrere contingat, tali, ac tanta modestia factitant, vt non modò non illis vim inferant, sed etiā reuerentiam exhibeant: non sicut alij quidam longè inferioris notæ, ac veluti quidam Pygmæi, qui blateranti ore Sanctorum dicta, ac si nullius pensi essent, pertractant; cum tamen eos meminisse deceat, antiquos literarum Scriptores esse veluti quosdam fontes omni sapientia refertos, è quibus ipsi suæ doctrinæ guttulas hauserunt.

Sylues. (margin)

4 Ex his ergo patet, quantum roboris habeat argumentū ab auctoritate depromptum, tantum enim est, quanta est dicentis probitas; quia ideo eius testimonium accipitur, quòd rationabiliter locutum fuisse credatur. Crescit autem dicentis auctori-

tas

tas, quando communitas *D*octorum ita alicuius dicta canonizat, vt iam ab omnibus pro textu habeantur, qui illum vel semper, vel vt plurimùm sectãtes, magna dignum fide efficiũt, sicuti est modo Arist. apud Philosophos, & S. August. apud Theologos; cuius auctoritas tãta est ob ingenij subtilitatem nõ modò in Theologia, sed etiam in alijs, vt *S. Bon.* Epist. ad Magistrum innominatum tale de August. testimonium dederit. *Nullus* (inquit) *meliùs naturam temporis, & materiæ describit, quàm August. Nullus meliùs exitus formarum, & propagines rerum, quàm Augustinus; Nullus meliùs quæstiones de Deo, & de Anima, quàm August. Nullus meliùs naturam creationis, quam Augustinus.* Hactenus S. Bon. in laudem D. August.

S. Bon.

5 Illud autem addendum, fallax tunc esse argumentum ab Auctoritate petitum, quando auctoritati dicentis aduersatur ratio firma demonstrantis, vt tantum est; vnde numquã ita est auctoritati nitendum, præterquàm *D*iuinæ, vt veritatem propter auctoritatem deseramus: Et hoc dico, quia sunt quidam adeò suis Magistris addicti, vt ne in puncto quidem ab eorum dictis dissentire patiantur; cùm tamen nõ videant, se magis iniuriam Magistro facere, illum in falsitate sectando, quàm errorem castigando. Istæc si integrè seruabuntur, liberum erit, & ab omni suspicione immune argumentum ab auctoritate depromptũ: Sin verò aliter, quàm deceat, auctoritatis vsum capiemus, in varios errores, ac fallacias incidemus: Quandoquidem neminem præterire puto; varios errores ex mala auctoritatis vsurpatione in vniuersa Scientiarum catena pullulasse, quæ ad hæc vsq; tempora perseuerant. Talis est enim erroris natura, vt veluti quidam morbus pestilens grassari non desinat, donec totum Mundum, si remedium non adsit, depascatur. Agite, quæso, quot errores in Philosophia peperit nimiùm tenax Arist. adhæsio. Quot etiã in fide, ac Theologia Origeni, aut alijs huiusmodi? vt ausim dicere, omnes hęreses hinc ortũ sumpsisse; quod quidem de Origenistis certum esse, ex D. Hieron. & alijs illius ætatis Scriptoribus facilè est intueri.

FINIS LIBRI PRIMI.

LIBER SE-

# LIBER SECVNDVS DE SCIENTIA.

## Ordo Libri Secundi.

HIC SECVNDVS LIBER QVATVOR CONſtabit Tractatibus.

*Primus erit de notitia in communi, quam quia ſequitur notitia, ſeu ſcientia in particulari*

*Alter erit de ſcientia in particulari: cùmque non ſit ſcientia ſine ſuis affectionibus*

*Tertius erit de affectionibus ſcientiæ: quoniam verò ſcientia eſt habitus acquiſitus*

*Poſtremus erit de acquiſitione ſcientiæ, ſeu de modo, quo ſcientia acquiritur.*

# TRACTATVS PRIMVS DE NOTITIA IN COMMVNI.

## IN HOC TRACTATV VIDEBIMVS

1 *An existat aliqua notitia, quid illa sit, & quotuplex?*

2 *Vtrum notitia sensitiua eadem sit cum experimentali?*

3 *Vtrum notitia intellectiua eadem sit cum scientia, & arte?*

4 *Vtrum notitia intellectiua rectè distribuatur in notitiam principiorum, definitiuam, & demonstratiuam?*

5 *Vtrum notitia intellectiua rectè distinguatur in distinctam, & confusam; directam, & reflexam; apprehensiuam, & comprehensiuam?*

An existat aliqua notitia, quid illa sit, & quotuplex.

### Cap. I.

Omnem quidem Dialecticum discursum alicuius notitiæ parentem esse, vulgaris est Dialecticorum sententia, ei Aristotelico nixa principio: quòd *Demonstratio est syllogismus faciens scire*. Etsi enim de sola Demonstratione id Aristoteles expresserit; nilominus, quòd id omni discursui commune existat, nullo modo ambigere licet. In sola autem Demonstratione, tanquam potissimo discursu, soloque propriæ scientiæ parente Aristoteli id explicare libuit. Hinc Aristotelici, Aristot.

in Libris Dialectices Tractatum de scientia introducendi occasionem nanciscuntur: qua de re in hoc Secundo Libro nos quoque, summariè tamen, quippe copiosiorem de his tractationem ad Libros de Anima, vbi de operationibus intellectus, ac subinde de notitia acturi sumus, reseruamus. Quoniam verò scientia intellectiua maximam cum sensitiua connexionem habet, in hoc Libro de vtraque suo ordine disseremus. Et à notitia in communi nostræ capientes narrationis exordium, adeò per se & ex terminis patere, aliquã in vniuersum dari notitiam, existimamus; vt de hac re vel dubitare incongruum sit; ipse namque sensuum vsus, & adhibitio intellectus quædam à sapientibus notitia iudicatur: vnde & duplex illius notitiæ partitio in sensitiuam, & intellectiuam ortum habuit; quæ partitio generalissima est, quippe quæ complectitur omne genus cognitionis, quæ ad hæc vsque tempora fuisse in vsu reperitur.

2. *Est autem notitia* (vt colligo ex Seraphico in 1. dist. 3. quæst. 1.) *quædam repræsentatio obiecti ad potentiam, quam consequitur vnio, & proportio potentiæ cognoscentis ad rem cognitam; ac tandem iudicium, & conformitas eiusdem potentiæ cognoscentis, & rei cognitæ.* Dixi *repræsentatio quædam obiecti*: quoniam non contingit haberi notitiam rei, quæ aliquo modo non repræsentetur: est enim notitia alicuius semper. *Dixi*, ad *potentiam*, quia notitia habetur per potentiam noscentem, cui res cognoscenda repræsentatur. Dixi, *quam consequitur vnio*, *&c.* vt ostenderem necessariam esse vnionem, & proportionem potentiæ, & obiecti, vt fiat notitia. Dixi, *ac tandem iudicium, & conformitas*, *&c.* quoniam tunc potentia habet notitiam, quando ex obiecto repræsentato, & vnito sequitur iudicium, & conformitas potentiæ ad rem, sicut ipsa in se est. Nam notitia, si est verè notitia, est conformitas rei ipsius ad ipsam potentiam cognoscentem, quatenus nimirum potentia ita noscit rem, sicut ipsa est; alioquin non erit notitia, non enim contingit per notitiam non nosse, sed nosse semper: nosse autem importat in potentia cognoscẽte hanc conformitatem cum re nota. Sic ergo pro forma, & fundamento breuiter tradita, & explicata notitiæ descriptione, generali sectione diuidimus eam in sensitiuam, & intellectiuam, sicut dictum est, vt posthac in toto hoc Tractatu notitiam sic in communi consideremus, quo tandem ad eam, quę nobilior est, intellectiuam scilicet enucleandam deinceps accedamus.

S.Bon.

Verùm

## Vtrùm notitia sensitiua eadem sit cum experimentali.

## Cap. II.

MVltùm quidem celebris, ac famigerata inter Sapientes semper extitit partitio illa notitiæ in cognitionem simplicis notitię,& experientię,cuius meminere præsertim Theologi in 3. dist. 14. de profectu cognitionis Christi tractatum S.Bon. habentes, vbi Seraphicus Doctor quædam de vtraque inter dicendum concisè commemorat. Quid ergo vtraque sit, & in quo vna ab altera distinguatur, nô abs re erit hoc loco breuiter inuestigare. Sanè quidem S. Doctor ar. 3. quæst. 2. citatæ dist.primam ad intellectum pertinere, secúdam verò ad sensum insinuauit his verbis: *Habuit* (loquitur de Christo) *cognitionē simplicis notitiæ in intellectu, & cognitionē experientiæ in sensu*. Et deinde. *Cognitio simplicis notitiæ consistebat in habitibus,& speciebus animæ Christi à primordio suæ cōceptionis infusis: Cognitio verò experientiæ consistebat in vsibus sensuum exteriorum*. Similia his ediderat in 2. d.23.a.2,q.1. Eodem ferè modo S.Bon. loquuntur alij Theologi, sic, vt scientiam simplicis notitiæ ad tellectum referant, experientiæ verò ad sensū. Quamobrē in cōmuni Theologorū doctrina duplex hæc assertio proposita respōsalis dubitationi inferri pôt.

Altera est,notitiā experientię esse notitiā sensus, notitiā verò simplicis intelligētię,intellectus

Altera est, in eo vnā ab altera discriminare, ꝙ vna sit potentiæ sentiētis,altera intelligentis.

2 Cæterùm,vt vtraq;hęc assertio exactiùs,& dilucidiùs percipiatur, notandū,nomen experientię multifariè posse vsurpari. Primò namq; Experientia capitur pro eodē,ac practica,seu vsu & exercitio,& opponitur simplici speculationi:quo sensu ij, qui in aliqua arte,vel sciētia sunt cōtinuè versati,dicūtur experti; vt Experti in Philosophia, Experti in Theologia,&c.Secūdò Experientia sumitur pro eodē,ac probatio ad sensū;quo sēsu accipio illa ad Xistum B. Laurētij verba: *Experire,vtrū idoneū ministrū*, &c.hoc est,proba ex facto,& vide, vtrū idoneū ministrū elegeris.Tertiò Experiētia capitur ꝑ eodē,ac longus vsus,q est via in scientiā.S.Bon.in 3 d.14.a.3.q. 2.ad 2.sic dicitur,*Experiētia docet,&c.Expertus sum rē,vt plurimum,ita esse*. Primo modo S.Bon. experiētia non tantùm pertinet ad sensum, verū etiā ad intellectū, quia ad vtrunque spectat practicare;& de illa verum est præsertim in his,quę operabilia sūt, plerunq;magis ad notitiam prodesse

desse, quàm speculationem; multò enim plùs sapiunt de natura, & proprietatibus virtutum, exempli causa, humilitatis, paupertatis, & huiusmodi, qui eas exercent, quàm qui eas tantummodo in speculatione contemplantur: immò nullus plenè percipere valet, quid sit humilitas, quid paupertas, nisi qui in ea versatus est, & expertus. Vnde plerunque accidit, homines cæteroqui ingenio perspicaces, speculatione subtiles in huiusmodi quæstionibus multa errare; sicut errarunt multi, qui de Regula & Paupertate S. P.N. Francisci, extra Religionem degentes, disputare tentarunt. Similiter Experientia postremo modo est tam intellectus, quàm sensus; quia tam intellectus, quàm sensus ex longo vsu quædam experiuntur: & de hac Experientia accipitur illud Philosophi: Experientia est optima docendi magistra, & multum deseruit argumentationi; quia argumenta desumpta ab experientia sunt valde probabilia. Experientia autem secundo modo est solius sensus, & differt à cognitione simplicis notitiæ; vt dictum est. Vnde experiri est ad sensum probare, & cognoscere: & de Experientia hoc modo loquûtur præfati Doctores: & dicitur Experientia, quasi exterior perientia, seu peritia: de qua vberiùs suo loco in Philosophia.

## Vtrùm notitia intellectiua eadem sit cum Scientia, & Arte?

## Cap. III.

Apparuit, quanam ratione notitia sensitiua (quod erat primum notitiæ membrū) eadem sit cum experientia, ac diuersa: postulat subinde nostri ordo instituti, vt notitiam intellectiuam (quod est secundum illius generalis diuisionis membrum) cum Scientia, & Arte conferamus. Quòd igitur notitia intellectiua non sit eadem cum Scientia propriè dicta, inde clarè micat; quia omnis Sciētia propriè dicta est quidem notitia intellectiua; nam Scientia est cognitio rei per causam; quæ cognitio est solius intellectus; neque enim sensus est tantæ virtutis, vt rem per causam cognoscere valeat: at non omnis intellectus notitia est Scientia, multa enim cognoscit intellectus, & non per causam; quo fit, vt notitia intellectiua se habeat ad Scientiam, sicut Genus ad Speciem.

Quòd item notitia intellectiua in multis differat ab Arte, communem reor esse Doctorum sententiam, quę inductione quadam sic comprobari potest.

2 Ars enim primò habet

pro

pro subiecto quid materiale, & corporeum; notitia verò intellectiua quid spirituale, & incorporeum. Siquidem subiectum notitiæ intellectiuæ est Anima rationalis, seu ipsa potentia intellectiua: subiectum verò Artis est aliqua pars corporis, vt subiectum Artis pictoriæ in manu, &c. verum est, aliquas esse Artes, quę proximè in Anima subiectantur, vt Ars oratoria, Ars concionandi, &c. immò S. Thomas (vt suo loco vberiùs digeretur) omnem Artem proximè Animæ inhęrere existimat; sed veriùs est, quod nos docuimus, in eo Artem à notitia intellectiua plerunque differre; quòd ars est habitus, & actus corporis; notitia verò animi.

S. Tho.

3 Differunt secundò consequenter; quia omnis notitia ab vno deriuatur principio, & in vno subiectatur subiecto, nempè intellectu; Ars verò sicut à diuersis deriuatur principijs, sic in diuersis subsistit subiectis; alia enim Ars est in manu, alia in pede, &c. vnde & alia manu, alia exercetur pede; & hæc potest esse ratio, cur in quibusdam animalibus ratione carentibus ars quædam, & artis operatio nonnunquam deprehendatur; nam ad artem acquirendam, & exercendam non est opus simpliciter aliquo actu intellectus, sed solo vsu, & exercitio extrinseco cōparantur.

4 Differunt tertiò in obiecto, quòd Artis obiectum, vt plurimùm, est quid materiale: Ars enim versatur circa materiam corpoream; vt Ars fabraria circa ferrum, aut lignū, &c. Obiectum verò notitiæ est quid immateriale, intellectus siquidem proximè negociatur circa aliquid immateriale, aut, si circa aliquid materiale, modo immateriali: verum est, aliquas Artes versari circa obiecta quodammodo immaterialia, vt Ars concionandi, &c.

5 Differunt quartò, quia in nulla Arte reperitur veritas, aut falsitas propriè, nisi quatenus dicitur falsitas error circa res artefactas contingens, inquantum deuiat à recta Artis regula, sed iste est potiùs error, quàm falsitas: in notitia verò intellectiua saltem actuali, & complexa reperitur veritas, aut falsitas. Ex his sequitur, Artem propriè non esse practicam; nam praxis est cognitio intellectus, seu notitia veritatis ad opus ordinata; vt suo loco meliùs explicabitur. Et de differentia vtriusque, à notitia hactenus. Tàm verò Notitia, quàm Scientia, & Ars conueniunt; quia suas potentias circa proprios actus, & obiecta regulant.

Vtrum

## Vtrum notitia intellectiua rectè distribuatur in notitiam principiorũ, definitiuam,& demonstratiuam?

### Cap. IV.

Cum notitia intellectus cõmuniter à Doctoribus triceps assignari consuescat (vt ex parte colligi potest etiam ex Seraphico in 2. d.39. a.1.q.2. iunctis iis, quæ habet in 1.d.8.a.1.q.2.) altera, quæ principiorũ; media, quę definitiua; postrema, quę demonstratiua nuncupatur: num isthæc distributio apta sit, non abs re fuerit in pręsentiarum inuestigare. Duo sunt autem, quę nonnihil in hoc Capite facessere possunt difficultatis Prius, notitiam simplicem, de qua infrà suo loco clariùs & distinctiùs, ad nullum horum membrorum posse reuocari. Posterius, notitiam definitiuam propriè notitiam minimè esse censendam, argumento eorum, quæ in hac materia congessit Iacobus Zabarella, vir vtique non parùm in disciplinis eruditus; quippe definitio (vt ipse ait) potiùs rem iam cognitam explicat, quàm ad cognitionem perducat; est enim *Definitio oratio explicans naturam rei*; vti ex definitione Definitionis clarè deducitur. Cęterùm horum nullum obstat, quominus à communi Magistrorum sententia recedamus.

S.Bon. Zabar.

2 Et quidem ad primum obiectum quod attinet, negandum est, notitiam simplicem ad nullum horum capitum posse reuocari; immò reuocatur ad notitiam definitiuam, si actu simplici tota rei quidditas percipiatur: ad demonstratiuam verò, si aliqua rei proprietas per propriam causam cognoscatur.

3 Ad secundùm verò negatur itidem, notitiam definitiuam non esse propriè notitiam: attende tamen, aliud esse definitionem, aliud notitiam definitiuam: definitio absolutè formaliter non est cognitio, sed modus cognoscendi: sicuti demonstratio non est scientia, sed modus sciendi; quippe per definitionem res quidditatiuè agnoscitur, sicut demonstratiuè, & scientificè per demonstrationem; & alioqui, si vera esset Zabarellæ opinio, nulla de rebus complexa haberi posset notitia; etenim omnis notitia complexa habetur per propositionem, copulando subiectum cum prædicato; quæ propositio explicat naturam propositi; quocirca definitio, & propositio sic explicant naturam rei definitæ, vt simul etiam ad eiusdem cognitionem perducant; cum enim dico, *Homo est animal rationale*, sic expli-

explico naturam hominis, vt simul huius veritatis habeam cognitionem, quòd nimirum homo est animal rationale.

4 Triplex igitur notitiæ intellectiuæ genus aptissimè constituitur. Primum est notitia primorum Principiorum, quæ qualibet alia cognitione complexa nobilior est, & est adeò certa, & euidens, vt intellectus, cognitis terminis, primo aspectu veritati eorum acquiescat; sicut cum alijs communiter citatis locis tradit
S. Bon. sanctus Bonauentura. Secundum est notitia, quam vocant Definitiuam, quæ est cognitio explicans naturam, & quidditatem rei, nec tamen adeò est certa, vt intellectus ei primo aspectu acquiescat. Tertium est notitiæ, quam vocant Demonstratiuam, quæ nihil aliud est, quàm certa, & euidens rei cognitio, quam syllogismus demonstratiuus intellectui impartitur; & hæc est proprijssi-
Arist. mè scientia, de qua Aristoteles in Libris Poster. multa subtiliter tradit; & maximè spectat ad Dialecticum, qui non tantùm rei veritatem, quàm causam, & rationem illius ratiocinando inquirit.

Vtrùm notitia intellectiua rectè distinguatur in distinctam, & confusam, apprehensiuam, & comprehensiuam, directam, & reflexam?

## Cap. V.

Alias multas notitiæ sectiones afferunt Doctores, in quibus eæ non sunt minoris momenti, quibus notitia in confusam, & distinctam, rectam, & reflexam, apprehensiuam, & comprehensiuam distribuitur: de quibus singulis perpauca hic ordinatè dicenda sunt. Principio autem statuendum est, eam aptam esse distributionem, etsi non ad perfectam distinctionis amussim (de qua alibi) assignata sit; non enim omnem notitiæ differentiam complectitur; dico nihilominus esse aptam, quoniam in notitiæ cognitionem facilè inducit: hic siquidem est distinctionis finis, hæc vtilitas; vt nimirum intellectus, ope distinctionum, ad rerum notitiam facilius pertingat.

2 Porrò Notitiam confusam breuiter eam ipse in præsentia appellarim, qua intellectus percipit aliquid non in se ipso distinctè, sed inuolutè

cum alio; vnde & alijs verbis cognitio implicita appellari solet: quo pacto cognitio habita per definitionem proximi Generis, & vltimæ Differentiæ censebitur confusa respectu eorum prædicatorum, quæ in illo Genere, & Differentia implicitè continentur. Distinctam verò contra dixerim eam, qua intellectus percipit aliquid in seipso distinctè, vt eadem cognitio definitiua respectu proximi Generis, & vltimæ Differentiæ.

3 Quod verò attinet ad Apprehensiuam, de qua sanctus Bonauentura multis in locis præsertim dist. 3. lib. 1. par. 1. ar. 1. quæst. 1. & dist. 14. lib. 3. ar. 1. quæst. 2. Cognitio apprehensiua illa est, qua res aliqualiter percipitur; Comprehensiua verò, qua quidquid de re cognoscibile est, perfectissimè agnoscitur; ad quam vtranque explicandam pulcherrima quædam Seraphicus Doctor citato loco 3. sent. adducit exempla, quæ quilibet pro suo arbitratu in eodem perspicere, & legere poterit. Nos verò interim ad naturam cognitionis rectæ, & reflexæ referandam sermonem nostrum conuertemus. S. Bon.

4 Est ergo cognitio directa (vt colligitur ex S. Doctore in 2. dist. 27. art. 2. quæst. 1. arg. vlt. ad oppositum) qua intellectus conuertitur supra obiectum incedendo; Reflexa verò, qua intellectus ab obiecto iam directè percepto retrogreditur ab ipso obiecto aut ad seipsum, aut ad actum suum, & hæc quidem reflexio addit ipsi cognitioni quandam perfectionem, & certitudinis excellentiam, vt ex eodem Seraphico dist. 14. lib. 3. art. 1. quæst. 3. ad vlt. & clariùs citato loco lib. 2. deducitur. Et de his hactenus, quantum ad præsens attinet institutum, de quibus omnibus plura 3. par. Summ. Philosoph. ad lib. de Anima, Deo fauente. S. Bon. S. Bon.

# TRACTATVS SECVNDVS

## DE SCIENTIA PROPRIE DICTA

### CAPITA HVIVS TRACTATVS



## An sit aliqua Scientia, & quid sit?

### Cap. I.

FV[illegible] ci[illegible] q[illegible] [illegible]rsum [illegible]ophos [illegible]m: [illegible]cien[illegible]di[illegible]lam quidem cum primis de nouo dari scientiam dixerunt, sed diuersa ratione; putarunt nanq; omnes rerum cognitiones, & scientiarum habitus esse homini à natura inditos, quarum tamen cùm propter corporis molem obliuisceretur, atque iterum ad earumdem memoriam reduceretur, non veram scientiam de nouo, sed simplicem reminiscentiam acquirere dicebant. At verò Aristoteles optimus scientificus, omnium optimè discurrens, & aliquam Scientiam dari, & eam de nouo acquiri existimauit. Quod ea ratione euidenter potest ostendi; quia nil prodesset studium, nil labor in discendo, nil exercitium in studendo, si nihil posset sciri, aut de nouo studendo acquiri.

2 Nos ergo illud in primis [illegible]rum esse, non dubitamus, quod [illegible]i idemmet Aristoteles (cui *Arist.*

 per

per omnia subscribit Seraphicus in 2. dist. 39. ar. 1. quæst. 2.) scriptum reliquit; intellectum scilicet humanum esse veluti Tabulam rasam, in qua nihil à principio depictum sit, & in qua postmodum studio, & exercitio varia scientiarum, & habituum genera depingantur. Verùm neque Platonem reminiscētiam comminiscentem à veritate vsquequàque alienum fuisse asserimus; cùm certum sit, dari reminiscentiam, quæ nihil aliud est, quàm rerum iam quoquo modo cognitarum, ac postea ex aliquo accidenti oblitarum noua ad memoriam reuocatio. Omnia tamen haberi per reminiscentiam, omnino falsum arbitramur. Heraclitum quoque, in eo quòd rerum mutabilium non esse propriè scientiam affirmauit, à vero non recessisse credimus; cùm & Aristoteles id doceat, & omnes Aristotelici fateantur; in eo tamen, quòd omnia mutationi subiecta esse asseuerauit, maximo errore deceptum esse arbitramur.

S. Bon.

Plato

Heracl.

3 Primò enim certum est, gloriosum Deum esse omnino immutabilem; Intelligentias quoque, & Animam rationalem esse natura incorruptibiles, indubitatum. Deinde Cæli sunt corpora incorruptibilia, vt docet omnis Schola Philosophorum. Quinimmo vniuersa, si eorum quidditas, & essentia, circa quam versatur scientia, spectetur, inuariabilia esse inuenimus, etsi quædam quoad existentiam varientur. Cum ergo dicimus, Scientiam esse de immutabilibus, id formaliter intelligendum est, qua ratione, cùm omnia variabilia sint, omnium perinde scientia haberi potest: Quid sit autē esse immutabile quoad essentiā, variabile verò quoad existentiam, infra opportuniori loco clariùs digeretur. Et verā igitur scientiam dari posse concedamus, & hunc studiosis Viris honorem non auferamus, asserentes nullam de nouo, studio, labore, & industria, Scientiam posse comparari; neque tamen reminiscenriam prorsus contemnamus, cùm multorum, quæ priùs homo nouerat, multoties obliuiscatur, & eorundem ipsorum postea etiam ad memoriam reducatur: nec omnia esse adeò variabilia credamus, quin de illis certa possit haberi scientia; quin potiùs omnia formaliter immutabilia, ac subinde cognitioni scientificæ perapta esse certò teneamus. Est autem Scientia propriè dicta cognitio rei per causam, de qua definitione plura suo loco commodiùs pertractaui.

Agitur

## Agitur de Scientia actuali, & habituali.

## Cap. II.

SCientiæ existentia comprobata, eiusdemque definitione allata, consectarium est, vt eandem in proprias differentias distinguamus. Principio itaque (quod docent passim Philosophi, præsertim Seraphicus Doctor. 3. sent. dist. 14. ar. 2. q. 1. 2. & 3.) solet distingui scientia, vt alia sit habitualis, actualis altera. Hæc est quidam actus, quo quis intellectu aliquid percipit, & intelligit; vt cum quis elicit actum intellectionis circa sua obiecta, quæ cognitio plurificatur ad pluralitatem rerum cognitarum, quia intellectus noster finitus plura simul & semel vnico actu cognoscere non potest. Dico, *intellectus noster*, nam gloriosus Deus vnico, & simplici actu propter infinitam suam lucem plura, & omnia simul cognoscit; Illa verò est quidam habitus potentiæ impressus, quo potentia non modò perficitur & ornatur, verùm etiam facilior, & promptior ad actualem cognitionem exercendam efficitur; habitus enim superponuntur potentijs, quæ plerunque sunt ex se & indifferentes, & infirmæ, ac debiles, vt & ipsas ad certam operationem restringant, & ad actus exercendos promptiores efficiant. Sanctus Bonauentura in 3. distinct. 33. artic. 1. quæst. 1. corp. Hic habitus potest plura simul comprehendere, sicut vnico habitu theologico omnia theologica cognoscuntur, & ab illo vnico habitu plures, ac diuersi actus procedere solent. Hinc iure optimo Philosophus aiebat, cognoscere nominare habitum, intelligere verò actum, vnde plura simul scimus, vnum tamen solùm intelligimus.

S.Bon. S.Bon. Arist.

2 Hæ duæ scientiæ habent adinuicē comparari multis modis. Primò ratione prioritatis, quo pacto actualis est aliquo modo habituali prior, aliquo posterior; quia alij sunt actus, qui præcedunt habitum, & ipsum in animo generant, secundùm illud commune axioma: *Ex frequentatis actibus fit habitus*: Alii sunt, qui consequuntur habitum, & hi sunt habitu posteriores, quia ab habitu manāt, atque tum faciliùs, tum etiam iucundiùs, ac securiùs producuntur, cùm potentia perfecta per habitum perfectiùs, & faciliùs operetur.

3 Secundò possunt comparari in ratione durationis; & hoc modo habitualis diutiùs perseuerat: quandiu enim homo

viuit, licèt dormiat, & alia multa operetur, habet tamen scientiam habitualem, quam acquisiuit, nisi per actus contrarios habitus ipse à potentia eradicetur. Actualis verò tunc tantùm est, cum actu potentia operatur.

4 Tertiò possunt comparari in ratione iucunditatis; quo pacto actualis iucundior est habituali: testatur Arist. dicens, beatitudinem hominis in actuali substantiarum separatarum cõtemplatione consistere; quod maximè verum est de actuali prodeunte ab actuali; vt benè ait Seraph. in 3, dist. 14. art. 2 quęst. 2. ad 3. vndè iuxta Seraphicum in 3. ibidem ad 4. & in 4. dist. 49. quæst. 1. illic in Patria tota cognitio actualis est. Actualis quoque potest multiplicari circa eandem rem; quia potentia potest multoties de eadem re actus cognitionis elicere: immò etiam habitualis, quia fieri potest, vt habitus semel acquisitus amittatur, & rursum idem non quidem in numero, atqui in specie acquiratur. Neque tamen repugnat, scientiam actualem, & habitualem esse simul; quia etiam dum potentia actu contemplatur, contemplatur per habitum, à quo tanquam à fonte vberior scientia dimanat.

Arist.

D.Bon.

5 Vltimò possunt comparari in ratione veritatis, aut falsitatis, quo pacto in sola actuali reperitur veritas, quæ est circa rem actu cognitam, & iudicatam. Habitualis verò tantùm ponit subiectum de potentia remota in proximam, vt ad actum veritatis peruenire possit.

## Agitur de scientia simplici, & complexa.

## Cap. III.

Licèt cognitio intuitiua videatur conuerti cum simplici, & complexa cum abstractiua, tamen non omnino conuenire certum est. Scientia quidem simplex se tenet ex parte intuitiuæ, quatenus in nulla earum reperitur complexio, affirmatio, aut negatio. Complexa verò se tenet ex parte abstractiuæ, in quantùm in vtraque complexio, affirmatio, aut negatio inuenitur.

2 Simplex ergo scientia est illa, qua aliqua potentia cognitiua elicit simplicem actum, nullo iudicio circa obiectum per affirmationem, aut negationem prolato, & dicitur communiter simplex apprehensio; vt cum video hominem intellectui meo per sui speciem pręsentem, illa simplex repræsentatio, & actus simplex dicitur simplex scientia;

3 Scientia verò complexa est illa, in qua aliquid de aliquo affirmatur, vel negatur; vt postquam

quàm repreſentatus eſt mihi paries albus, formo hunc conceptum de pariete, quòd ſit albus. Hæc autem rurſum duplex eſt: Alia iudicatiua, & eſt ſecunda operatio, quæ dicitur iudicium, quando ſcilicet, nullo interueniente diſcurſu, intellectus ſolo iudicio affirmat, aut negat aliquid de aliquo, vt quòd homo ſit animal. Alia, quæ eſt tertia operatio intellectus, & dicitur diſcurſus, quando intellectus ratiocinando vnum ex alio colligit, & deducit; quocirca omnis notitia abſtractiua eſt quidem complexa, ſed non eadem ratione: nam complexa formaliter dicitur, quia vnum cum altero copulatur; abſtractiua verò, quia abſtrahitur ſubiectum, & prędicatum, vt deinde ſimul vtrunque coniungatur.

4 Ex quo colligitur, notitiam complexam ex ſuo formali conceptu dicere affirmationem, aut negationem alicuius de aliquo, abſtractiuam verò ipſius ſubiecti, & prædicati abſtractionem, quod non fit niſi per complexionem. Similiter ſimplex excludit formaliter complexionem; intuitiua verò formaliter dicit aſpectus directionem in obiectum, quod fit abſque complexione. Et hunc ordinem ſeruant ad inuicem, quòd ſimplex præcedit complexam, & poteſt eſſe ſine ea; complexa præcedit diſcurſiuam, & poteſt eſſe ſine illa; diſcurſiua verò ſupponit vtranque, & vtranque complectitur. Scientia intuitiua, & ſimplici poſſibile eſt comprehendi totum obiectum; ita enim Beati vnico actu totam Sanctiſſimam Trinitatem cognoſcunt, licèt non totaliter; at ſcientia complexa impoſſibile eſt omne obiectum agnoſci, ſed ſicut plurificantur prædicata in obiectis, ita circa eadem plurificantur actus ſcientiæ complexè. Ratio eſt; quia intellectus noſter finitus non poteſt plura inter ſe diſtincta de eadem re vnico actu prædicare, niſi illud prædicatum ſit complexum; vt accidit in definitione, in qua omnia eſſentialia concluduntur.

5 Quòd ſi obijcias, *Deũ*, quia ſummè ſimplex, habere vnicum prædicatum complectens quicquid eſt in Deo. Reſpondetur cum *D.* Bonau. in 1. diſt. 45. ar. 2. quæſt. 1. licèt omnia in *Deo* ſint vnum, tamen intellectum noſtrum, quia finitus, non poſſe omnia vnico actu apprehendere; ſed diſtinguere ſapientiam à potentia, potentiam à bonitate, & vt diſtinctas cognoſcere debet. *D.Bon.*

## Agitur de ſcientia intuitiua, & abſtractiua. Cap.IV.

Illud principio monendum occurit, nullam quoad earum

rum existentiam apud Doctores vnquam fuisse controuersiã;cùm omnes vno ore tam intuitiuam, quàm abstractiuam dari scientiam proclament. Cæterùm, licèt extra disputationem sit, & citra omnem altercationem, quantum ad eius spectat existentiam, magnum nihilominus inter eos oritur dissidium in eius natura, ac quidditate assignanda. Et quamuis in hoc exiguo libello non sit propositi nostri multas recensere Doctorum sententias, sicut initio operis protestati sumus, cogimur tamẽ tantisper hic mutare sententiam, ac obiter aliorũ hac de re pertingere opiniones.

*Scotus Vtinen.* 2 Scotus ergo, quem refert, & sequitur Vtinensis noster Tract. 2. de Deo Vno & Trino q. 6. artic. 4. duplicem constituit scientiam intuitiuam, aliam perfectam, aliam imperfectam: Et ad perfectam quidem asserit necessarium esse, vt res in seipsa actu videatur; quo fit, vt obiectum scientiæ intuitiuæ se extendat ad res solùm actu existentes: Imperfectam verò eam esse definit, per quam res non in seipsa, sed in aliquo sui representatiuo cognoscitur.

Alii verò ad veram intuitiuã negant necessarium esse, vt res in seipsa conspiciatur. Quas opiniones conatur ad concordiam redigere Vtinensis per traditam distinctionem à Scoto de intuitiua perfecta, & imperfecta. Omnes tamen in eo concordant, quòd scientia intuitiua est simplex, cùm nulla intercedat in actu visionis complexio.

Abstractiuam verò eam esse definit Scotus, & alii non pauci, quæ abstrahit ab esse rei, & aliis accidentibus rem ipsam comitantibus. Et hæc de aliorum sententiis.

3 At si libeat meam mihi de hac re ferre sententiam; Scientiam intuitiuam eam esse existimarim, per quam potentia intellectiua, nullo interueniente discursu, fertur in obiectum ipsum, siue in se existat, siue in aliquo sui expressiuo: & dicitur intuitiua, quia potentia intuetur obiectum; & hoc mihi persuadeo primò; quia si ad perfectam scientiam intuitiuam coexigeretur actualis præsentia obiecti, sequeretur, scientiam, quam habuit Deus ab æterno de rebus non esse perfectè intuitiuam. Idipsum accideret de scientia Beatorum in Verbo, quòd scilicet non esset intuitiua; quæ omnia meo iudicio sunt valde absurda. Denique ex ipsa nominis etymologia istud ipsum ostenditur, quòd quemcunque intuitum complecti dubitare non licet.

Ab-

4 Abstractiuam verò arbitror esse illam, quæ habetur de re per complexionem, vnde nulla talis cadit in Deo, cùm non competat ei scientia complexa, siue sit rei in actu, siue non; cum enim intellectus componit, necesse est, vt abstrahat & subiectum, & prædicatum. Crederem propterea hallucinatum esse Scotum, & alios cum ipso asserentes, abstractiuam esse eam, quæ abstrahit ab esse rei, sequentes nominis etymon superficialiter, & volentes in hoc ab intuitiua eam discriminare. Ratio, quę me mouet, ea est primò; quia Deus, qui cognoscit res, antequam sint, & ab esse, & non esse præscindunt, non habet scientiam earum abstractiuam, sed intuitiuam, intuetur enim non solùm se ipsum, verùm etiam omnia in seipso. De his tamen me videro vberiùs iterum opportuniori loco 3. p. Summ. Philosoph. ad libros Aristot. de Anima.

5 Hoc modo declarata vtriusque natura, ac quidditate, triplicem possumus constituere cognitionem cum abstractiuam, tum intuitiuam.

Prima quoad abstractiuas erit simpliciter enunciatiua, cuiusmodi est scientia cuiuscunque propositionis;

Alia ennunciatiua definitiua;

Tertia denique enunciatiua cum discursu, & hæc postrema perfectissima est, ac inter eas præstantissima, quia alias duas in se complectitur; neque enim potest haberi discursus sine præuia enunciatione, ac definitione. Ex quibus infertur, nullam cognitionem abstractiuam esse potentiæ sensitiuæ, sed solius intellectiuæ.

6 Inter intuitiuas verò supremum gradum obtinet illa, per quam videtur obiectum in seipso immediatè, qualis est cognitio Beatorum, qui ipsummet Deum in seipso intellectui præsentissimum cernunt. Secundum locum tenet ea, quam quis habet de rebus, ipsas vt in alio repræsentatas intuendo; quanquam hæc ex alio capite sit ea perfectior. Postremo loco ponitur ea, quæ de rebus absentibus habetur per species siue innatas, siue extrinsecùs mendicatas, per quas species habent obiecta vt sint præsentia. Talis est cognitio hominis, qui per species extrinsecùs acceptas intuetur in suo intellectu, & cognoscit res sine aliquo discursu. Ex quibus licet inferre, dari gradus in his cognitionibus, vt vna sit alia perfectior, & nobilior; & ita potest ad bonam frugem reduci illa Scoti distinctio de intuitiua perfecta, & imperfecta, sumendo imperfectam pro minùs perfecta.

Intui-

7 Intuitiua, si comparetur ad abstractiuam in ratione primitatis, & dignitatis, prior est, & nobilior. Prior, quia ad omnem complexionem, & discursum antecedit necessariò simplex, & intuitiua scientia, seu cognitio non solùm potentiæ sensitiuæ, sed etiam intellectiuę. Nobilior, & perfectior, tum quia intuitiua reperitur in substantijs nobilissimis, Deo scilicet, & Angelis; tum quia discursiua, & complexa dicit, & habet annexam imperfectionē; imperfectionis enim est ratiocinando, componendo, & vnum ex alio deducendo in cognitionem veritatis peruenire. Discursiua tamen, vt includit etiam intuitiuam, nobilior est respectu vnius eiusdemque potentiæ.

## De scientia speculatiua, & practica.

### Cap. V.

QVoniam ea potissimùm diuisio scientiæ, qua in practicam, & speculatiuam diuiditur, solet in scholis adhiberi; magna est diligentia curandum, vt, quid speculatiua, quidue practica sit, declaremus. Aristoteles quidem scientiam speculatiuam eam esse dicit, quæ est gratia sui, nec ad aliquod opus ordinatur, sed in sola veritatis cognitione consistit; vndè veritas ex eodem relato à S. Bonau. in 1. dist. 3. dub. 7. lit. dicitur finis scientiæ speculatiuæ. Practicam verò, quæ ad opus omnem dirigit cognitionem: vnde qui speculatiuis incumbunt, solam rei veritatem inquirunt; qui verò practicis vacant, ideò discunt, vt operari possint. Vt huius rei, quæ est maximi momenti, plenam cognitionem habeamus, sciendum est, practicum dictum esse *à praxi*; quod idem est ac operatio; speculatiuum verò à speculatione, quæ est actus intellectus simplicem rei veritatem indagantis.

Arist. D. Bon.

Quantum ergo ad speculationem, & speculatiuam pertinet, vnanimis est Doctorum consensus, speculationem esse actum intellectus solam rei veritatem inquirentis; & scientiam speculatiuam esse eam, quę de se est in ordine ad solam veritatem cognoscendam. Quò verò ad praxim, magna est inter Doctores controuersia, in quonam videlicet consistat formaliter praxis, & quidditas scientiæ practicæ.

2 Aliqui enim existimant, praxim dicere quodcunq; opus etiam intellectus, & scientiam practicam esse illam, quæ ordinatur etiam ad opus intellectus. Sed hoc nō potest esse; alioquin omnis scientia esset practica; quia

quia omnis scientia, & habitus scientificus superponitur potentiæ, vt ipsam certò dirigat, & determinet ad suas operationes exercendas, ne circa eas error, aut falsitas contingat. Alij existimant praxim, & habitum practicum esse alterius potentiæ, quàm intellectus. Sed hoc quoque falsum est, quoad secundum dictum; quia, vt vult Philosophus 3. de Anima tex. 49. intellectus speculatiuus, & practicus est vna, & eadem potentia sola extensione differens; & habitus speculatiuus, & practicus habent pro subiecto eandem potentiam, scilicet intellectiuam.

Arist.

3 Quocirca dicendum est, praxim esse opus alterius potentiæ ab intellectu, prout tamen dirigitur à potentia intellectiua. Practicam verò scientiam esse habitum perficientem intellectum nostrum, inquantùm est regula operum alterius potentiæ; & ita intellectus habet quodammodo rationem operatiui, non quia efficiat opus, sed quia dictat, & dirigit aliam potentiam ad opus: & hoc voluit innuere Philosophus vbi supra, cum dicit. Intellectus ex se speculatiuus extensione fit practicus, vt benè exponit Seraphic. infra citandus.

Arist.

S. Bon.

4 Propter quod obseruandum est, praxim posse sumi dupliciter. Primò largè, secundò strictè. Largè nominat quodcunque opus siue artis, siue scientiæ, siue extrinsecum, siue intrinsecum. Strictè verò praxis aliundè quærenda est: sicuti enim speculatio propriè dicta est in potentia nobili, scilicet intellectiua, ita in quadam nobili potentia ponenda est praxis; praxis enim consequitur ad speculationem, & speculatio præcedit praxim. Pro quo vlteriùs.

5 Aduertendum est, nullam aliam reperiri in homine operatricem potentiam; cui integrum sit nobiliter operari, quàm voluntatem, quæ tamen cùm sit cęca, & indifferens, indiget aliqua regula, à qua dirigatur, & ad aliquod determinatum opus trahatur; sicut videmus omnes alias res ab aliqua regula ad suos fines perduci. Verùm quia omnes res naturales appetitu naturali, & necessario in suos fines feruntur sine periculo erroris, ideo non indigent aliqua alia regula, qua ad fines ordinentur, & perducantur pręter ipsum naturalem appetitum. At quia appetitus rationalis nēpè voluntas, non habet determinatas operationes, sed est indifferens, non potest absque magno erroris periculo ad sua munera obeunda extendi, nisi quadam certa regula dirigatur.

6 Sciendum est vlteriùs, intellectum humanum esse à scientia

tia perfectibilem, &, secundùm quod potest simpliciter considerari, à triplici genere scientiæ perfici debere. Primò enim potest considerari in se, & in ordine ad suum actum præcisè, qui est cognitio veritatis; & ita perficitur ab habitu speculatiuo. Secundò potest cōsiderari, prout extenditur ad opus per modum dirigentis, & regulantis; & hoc modo perficitur ab habitu practico. Tertiò potest considerari medio modo, prout scilicet per se est ordinatus ad cognitionem veritatis, & etiam per se ad opus; & ita perficitur ab habitu medio, qui appellatur sapientialis.

7 Ex his ergo patet, quid sit praxis, quiduè speculatio, quid scientia practica, quiduè speculatiua. Speculatio enim est actus intellectus rei veritatem contemplantis, seu indagantis: & Scientia speculatiua est habitus perficiens potentiam intellectiuam in ordine ad solam veritatis cognitionem: Praxis verò est opus potentiæ nobilis, scilicet voluntatis, prout tamen elicitur per regulam intellectus: Scientia verò practica est habitus perficiens intellectum, vt possit esse regula, & directiuum operationum voluntatis. Quæ omnia eruditissimè tradit Seraphicus Doctor 1. sent. quæst. 3. Prologi, & 2. dist. 39. ar. 1. q. 1. & 4. d. 6. par. 2. ar. 2. quæst. 2. vbi initio corporis hæc formalia verba habet. *Intentio est voluntas ratiocinata, prout dirigitur in finem; quod idem est ac dicere; intentio operis est actus voluntatis à ratione ad finem directa.* Hæc ille; à quo postea Scotus desumpsit quicquid de scientia practica, & praxi prolixè disputauit.

S. Bon.

8 Ex his facilè est deducere, quænam sint opera, quæ propriè appellari debent nomine praxis. Ea enim omnia, & sola sunt, quæ producuntur à voluntate, prout in illa directa est ab intellectu. Hinc excludūtur omnes actiones naturales, & etiam animales, ad quas dirigitur homo per appetitū solùm naturalem, & sensitiuum, seu animalem. Excluduntur etiam omnes illæ, quæ eliciuntur à voluntate absque eo, quòd dirigatur ab intellectu; quales sunt, Amare Deum, seipsum: Honorere parentes, quæ omnia facit voluntas absque alia regula, sed solo dictamine naturæ. Excluduntur etiam omnes illæ, quæ à voluntate magno impetu, & inaduertentia producuntur; vt sunt primi motus. Denique illæ solæ numerantur inter praxim, ad quas voluntas se conuertit, vt directa à ratione, & intellectu.

9 Ex quo colligitur etiam, quare praxis reperiatur solùm in rationalibus; quia scilicet in ipsis solis reperitur potentia nobilis

bilis, indifferens tamen, & cęca: reperitur etiam intellectus, qui potest eam illustrare, dirigere, & determinare.

10 Ex his etiam colligitur, quænam sint scientiæ practicæ, & speculatiuę, per quas homo quoquo modo eleuatur ad ea resarcienda incōmoda, quę propter peccatum miserabiliter incurrit. Hæc incōmoda sunt pręcipua defectus in sciendo, & defectus in rectè operando. Vnde tot sunt scientiæ, quot sunt ea, quibus indiget intellectus, vt pficiatur tū in ordine ad se, tū in ordine ad opera voluntatis.

11 In primis ergo ad tollendam ignorantiam intellectus in inuentione veritatis, adinuenta est Logica, quę est habitus perficiens intellectum ad cuiuscunq; rei veritatem differendo attingendam; quia licèt naturaliter homo aptus sit, aliquam veritatem differendo attingère, facilè tamen in multos errores labitur, nisi Logicæ ministerio adiuuetur. Quam ideo speculatiuam censeo, quia de se est ordinata ad dirigendas operationes intellectus, ad quas ipse intellectus nō habet, nec potest se habere vt regula, & directiuum, vt alibi ex proposito demonstratur.

12 Rursus ad tollendā ignorantiam omnis entis, vt ens est, adinuenta est Metaphysica, quæ versatur circa omne ens, vt ens est, & est habitus speculatiuus, quo mens omnium entium cognitionem acquirit.

Vlteriùs ad tollendam ignorantiam rerum naturalium, ad quas intellectus se habet, sicut Noctua ad lumen Solis, reperta est Philosophia, cuius munus est de omni substantia naturali, vt naturalis est, subiecta mutationi pertractare, quæ etiam propterea meritò inter Scientias speculatiuas numeratur.

13 Vltimò inter scientias speculatiuas collocantur etiā Disciplinę Mathematicę, quę quantitatem, & figuras omnes Mathematicas, vt sunt trianguli, circuli, &c. docēt, & considerāt; itaut omnis scientia speculatiua aut sit Dialectica, quę modum differēdi tradit; aut Metaphysica, quę omne ens, vt ens est, complectitur; aut Philosophia, quę de substantia, vt naturalis est, agit; aut Mathematica; quæ de figuris, & quantitate pertractat, licèt hæc non sit propriè sciētia, quia non procedit per causam.

At inter practicas est Prudentia, quæ est regula omnium humanarum operationum, quæ postea subdistinguitur; vt alia sit, quæ ordinat ea, quæ ad mores in communi pertinent, & dicitur Philosophia moralis; vel ea, quæ spectant ad seipsum, & dicitur Ethica; vel ea, quæ ad gubernationem familiæ, & dicitur Oeconomica; del denique ad rem publicam, & appel-

latur

latur Politica. His additur Medicina, quæ ad sanitatem corporis animati pertinent, dirigens, & ordinans.

14 Quæ verò medio modo se habent, est Fides, & Theologia reuelata, quæ agit de omni credibili, vt probabile est per rationes, & iure appellatur à Seraphico Doctore quæst. 3. Prol. habitus speculatiuus, & practicus, quia non solùm per se intendit docere veritatem, sed etiam per se ipsam veritatis notitiam ad operationes ordinare; cùm enim finis hominis, qui est beatitudo, non possit nisi per cognitionem, & bona opera obtineri, necesse est dari aliquam scientiam, quæ & ad hanc Dei cognitionem perducat intellectum, & ad bona opera dirigat affectum: hæc autem scientia nulla alia potest esse, quàm habitus Theologicus, cuius munus est & veritatem tueri, & ad iustitiam perducere; sed de his suo loco, Deo benè dante, vberiùs. Bon. S.

## Declaratur meliùs, quid sit speculatio, & praxis.

## Cap. VI.

Non parùm proderit, ad naturam praxis, & speculationis percipiendam, ipsam colligere ex notitia speculatiua, & practica impropriè dicta, quam in sensibus reperiri non ambigimus. Nam (vt ait Philosophus in prologo Metaph.) ipsos sensus diligimus non solùm vt agamus, verùm etiam nihil acturi. Est autem speculatiua sensuum cognitio ipsa sola obiecti intuitio per se, vt obiectum intueamur, & perspiciamus. Practica verò est ipsa obiecti cognitio ad opus ordinata: vnde non ineptè licet dicere de sensu id, quod superiùs de intellectu; Sensum scilicet, qui per se est speculatiuus, extensione fieri practicum. Arist.

2 Declarantur isthæc satis apparenti similitudine, & exemplo. Figat, verbi gratia, quis in picturam mirificè delineatam oculos suos, & attentiùs ipsam contempletur non alio fine, quàm vt pulchritudinem illius percipiat: hæc vtique erit notitia sensus speculatiua, cùm oculus merè eò actum visionis dirigat, vt ipsum obiectum perspiciat, & perspiciendo cognoscat.

Rursum picturam respiciat, vt de illa iudicium rogatus ferat; illa intuitiò dicetur practica, cùm electa fuerit tanquam regula rectè iudicandi, & verè ille actus fuerit directiuus potentiæ iudicatiuæ, vnde & illud iudicium erit praxis. Eodem modo si quis velit Romam ducere Cæcum, viam ignorans, si quæ-

quærat ab aliquo, quà Romam iter habeatur, vt illa notitia vtatur tanquam regula, Romam certò & infallibiliter deducente, & viam demonstrante, erit vtique notitia practica; sin autem interroget sola curiositate, vt viam Romæ teneat, non cogitando de via facienda, cognitio erit speculatiua. Ita philosophandum de scientia intellectiua, speculatiua, & practica, & similiter de speculatione, & praxi.

3 Illud est autem diligenter obseruandum, licèt omnis actus elicitus ab habitu practico sit practicus, non omnem tamen actum practicum originari ab habitu practico, quia multi sunt actus practici, qui ipsum habitum antecedunt; vt supra de Scientia actuali, & habituali in vniuersum declaratum est.

# TRACTATVS
## TERTIVS
## DE SCIENTIAE PROPRIETATIBVS, ET AFFECTIONIBVS

### *CAPITA HVIVS TRACTATVS*



Quid

## Quid sit Scientiæ subiectum, & obiectum, & quotuplex, & an idem sit, ac intentio.

### Cap. I.

Omnem quidem artem, & scientiam esse de aliquo subiecto semper, adeò vnicuiq; perspicuum esse opinor, vt nefas sit in dubitationem vocare; immò subiectum inter cætera, quæ de scientia tractari solent, non infimum sibi vendicat locum; in cuius declararione tam multa, tamque varia circumferri video, vt vix sit disputandi finis: ipse verò breuiùs, quàm fas erit, omnia vtilia perlustrare conabor.

Ante omnia autem præmittendum censeo, Subiectum, & Obiectum à Doctoribus antiquioribus vsque ad tempora Durandi Theologi præstantissimi pro eodem accipi consueuisse, ipsum autem Durandum (cuius ingenium ego semper magis, ac magis demiratus sum) quandam introduxisse de Subiecto, & Obiecto distinctionem; quam doctrinam, propinante eodem Durando, ebibit etiam Capreolus; quamque quidam Iesuitarum eruditissimi, Valentia nimirum, & Vasquez in Prolegomenis Theologiæ, & nonnihil etiam Petrus Hurtadus de Mendoza in Proemio Metaph. celebrem reddiderunt, aientes, Subiectum, & Obiectum, propriè loquendo, differre. Subiectum enim dictum ab eo, quod subijcitur, idest, de quo aliud affirmatur, seu quod alij in affirmatione subijcitur, sicut in prædicatione, & propositione Subiectum est, quòd subijcitur prędicato, & de quo prædicatum affirmatur, vel negatur. Obiectum verò dictum ab eo, quod obijcitur, vel obiectatur, est quod potentię percipiendum suo modo obijcitur: atque ita subiectum (ait Hurtadus) est obiecti pars; exempli causa, in hac propositione, *Deus est iustus*, subiectum est Deus, obiectum verò est tota ipsa propositio constans ex subiecto, prædicato, & copula: quia tota intellectui cognoscenda obijcitur.

Duran. Capreol. Valent. Vasq. Hurta.

2 Denique hanc doctrinam sedulò obseruandam docet Trigosius par. 1. quæst. 1. ar. 2. in expositione textus, qui plùs triginta annis D. Thomæ in præclara Iesuitarum Societate operam dedit, post quos ad nostram pusillam Capuccinorum Congregationem maioris perfectionis desiderio transijt, ac in Seraphico Doctore satis egregia Commentaria, & Quæstiones edidit, locoque citato ait, S. Doctorem propriè esse locutũ, dum subiectum Theologiæ quæ-

Trigos.

siuit

fiuit, Sed certè Seraphicus vbiq; semper subiectum, & Obiectum indistinctè accepit, neque ei distinctioni vnquam attendit: ait verò Trigosius ibidem, conclusiones, quæ inferuntur de Subiecto, dici propriè Obiectum scientiæ. Hanc doctrinam ego aliquandiu tum ob tantorum auctoritatem Doctorum, tum præsertim ob apparentem ipsius, quam præseferre videbatur, veritatem, dum compositioni, ac lectioni vacarē, solerter considerandam, ac menti imprimendam curaui: verùm, re profundiùs rimata, à communi Antiquorum sententia recedendum minimè esse, clarè prospexi. Atenim quia, vt dixi, eam apud Patres Iesuitas, qui iure optimo hisce temporibus Scientiarum amplissimi propagatores appellandi sunt, plurimi fieri, ac in Scholis edoceri video, conabor ostendere, ab antiqua illa veterum Patrum sententia recedendum minimè esse, & ne ab etymone vocum elongemur, Subiectum verè ab eo dictum, quod subijcitur, Obiectum verò quod obijcitur, cum iisdem suppono.

3 Sed notadum, duobus modis aliquid subijci communiter perhiberi, vel scilicet in propositione, vel in opere, lib. tract. ser. quæst. disp. & sic Italico idiomate dicitur, *Il soggetto della predica, dell'oratione, del sermone*, idest quod subijcitur concioni, orationi, sermoni, & cætera; & hoc modo tantùm valet, quantùm materia de qua, seu circa quam, ita *Il soggetto e la materia del sermone è l'amore; il soggetto della disputa è il bene, Dio*, & cætera; Hoc igitur modo capitur Subiectum à Doctoribus, cum scientiæ subiectū rimantur, idest id quod toti scientiæ, vel parti eiusdem subiicitur: sic subiectum Libri vniuersalium dicitur Vniuersale, quia id est, quod tractatui illius libri subijcitur: Motus dicitur subiectum Tertij Libri Phys. quia motus ei libro subiicitur, non secus quàm charitas, v. g. sermoni, aut prædicationi. Obiectū similirer dictū ab eo, quod obijcitur, vel obiectatur, duobus modis vsurpatur, siue pro eo, quod obiectiuè percipitur, & hoc modo potiùs cōceptus obiectiuus, quàm obiectū nuncupatur, siue pro eo, quod potentiæ percipiēdum offertur, est enim obijcere, & obiectare (teste Ambrosio Calep. tit. Obijcio, & obiecto) idē ac ante, seu ob oculos ponere, offerre, &c. & sic propriè obiectū nomenclatur, & in scientia obiectum dicitur, quod ab ea considerandum, tractandum, speculandum obijcitur; vt verbi gratia, in Libro Vniuersalium, id quod tractandum, & considerandum obijcitur, est Vniuersa- Calepin.


le,

le, atque hoc modo idem omnino est cum subiecto, materia de qua, & materia circa quam: atque pro eodem hæc omnia accipit congruè S. Bonauentura in Prol. lib. Sentent. quæst. 1. & alij communiter, vt dixi;

S. Bon.

4 Pro pleniori tamen adhuc cognitione notandum rursus, intellectum nostrum, præsertim pro statu præsentis vitæ, nil ferè intuitiuè, & incomplexè, atqui omnia abstractiuè, & complexè per actus, & conceptus complexos percipere; quo fit, vt licèt obiectū, & subiectum aliquid simplex existat; non tamen distinctè vnico actu simplici, verùm multis, eisque complexis cognoscatur: Exempli causa, subiectum, quod subijcitur disputationi philosophicæ est substantia, naturam habens, & eadem est obiectum, quod in ea scientia tractandum, & considerandum obijcitur: etsi quidem intellectus esset Deiformis, vnico actu simplici totum illud subiectum, & obiectum, ac omnes eius affectiones, passiones, & cætera perciperet; at quia finitus est, & imperfectus, ideo, proposito sibi subiecto, & obiecto, ipsum multis conceptibus speculatur, & dicit: Substantia, naturam habens, est motus, & quietis principium, motui, & quieti naturali obnoxia ex diuersis principijs naturalibus constituta, & cætera, sic ait, Ens est vnum simplex, reale, & cætera: hi sunt quidem plures actus intellectus, & plures propositiones; non sunt tamen plura obiecta, vt perperàm in suis persistens fundamentis deduxit Mendoza: immò vnum est subiectum, idest substantia naturam habens, & ens, quod per plures illos actus, & conceptus, vt tota eius natura exactè exhauriatur, consideratur. Hinc sequitur, necessariò in vna Scientia vnicum subiectum, & obiectum considerari, non plura; sicut vnum est subiectum, & obiectum vnius sermonis, & concionis indistinctæ; quod addo, quia plerunque plura subiecta in eodem sermone tractari solent, at hoc est per accidens, & ordinem, ac vnitatem sermonis disrumpere: vnde Zabarella Libro de tribus Præcognitis, ait non esse conditionem subiecti, vt sit vnum, quia de pluribus subiectis sermo potest institui; benè autem est conditio subiecti vnius Scientiæ, quia vna Scientia est de vno subiecto.

Mẽdoz.

Zabar.

5 Hac iam doctrina neruosè, vt puto, comprobata, Subiectum nempe, & Obiectum pro eodem vsurpari, diuiditur

uiditur Subiectum primaria ſectione in materiale, & formale: Materiale porro eſt res ipſa, quæ conſideranda objicitur, ſeu diſputationi ſubjicitur; vt in Philoſophia ſubſtantia, vel corpus, & hoc obiectum ſub hac ratione à ſcientia per ſe non cognoſcitur; ſicut non percipitur paries ab oculo, vt paries: Formale verò eſt ea conditio, ſub qua conſiderandum obijcitur; de quo per ſe tractat ſcientia, & terminat per ſe actum cognitionis ſcientificæ; vt in eadem Philoſophia naturale, ſeu naturam habens; ſicut autem materiale inuolutum formali poteſt à potentia attingi, puta paries lumine inuolutus ab oculo, ſic materiale imbibitum formali per actum cognitionis ſcientificæ attingi poteſt.

6 Rurſum vtrumque tam materiale, quàm formale in totale, & adæquatum, partiale, & inadæquatum diſtribuitur: Adæquatum, & totale ( vti ex nominis etymone lucet ) id eſſe cenſetur, quod adæquat diſputationem, ſeu narrationem in ſcientia, ſicut locatum dicitur adæquare locum, & locus locatum, quando inter locum, & locatum non datur exceſſus; ſcientia ergo adæquat obiectum, & obiectum ſcientiam, quoties nil eſt à parte obiecti, ſeu ſubiecti, quod diſputationi ſcientiæ non ſubjiciatur, & econtrà nil à parte ſcientiæ, quod ad obiectum non referatur: Inadæquatum verò, quando inter ſcientiam, & obiectum datur exceſſus, vt verbi gratia, Cælum, vt eſt corpus naturale, eſt obiectum partiale & inadæquatum Philoſophiæ, quia non adæquat ſcientiam philoſophicam; immò ſcientia excedit illud ſubiectum, cùm alia multa diſputationi philoſophicæ ſubijciantur.

7 Rurſum obiectum, ſeu ſubiectum adæquatum in proprium, & attributionis diuidi conſueuit: Obiectum adæquatum proprium, ait Mendoza, *Mend.* eſſe, quod per omnes actus cognoſcitur, verbi gratia, ſint decem actus, quibus omnes concluſiones Metaphyſicę percipiantur, omnes illi actus obiectum proprium adæquatum nuncupatur: ſed iſte decipitur, putans, obiectum dici in ſcientia, quod per ſingulos quoſque actus attingitur, quaſi quilibet actus ſit obiectum inadęquatum, & improprium; vnum enim eſt obiectum in ſcientia, quia vnum obijcitur conſiderandum; &

vnum, quia vnum est, quod toti scientiæ subijcitur, puta ens in Metaphysica, licèt per plures conceptus formales, & obiectiuos concipiatur. Obiectum attributionis vocat idem finem extrinsecum, cuius gratia omnia disputantur, quæ in illa scientia tractantur. Hæc doctrina vera est, inquantum vnum constituit obiectum, in cuius gratiam omnia tractantur; nam in Philosophia agitur de tempore, de loco, de vacuo, de duratione, de motu, de materia, de priuatione, de natura; hæc autem omnia dicunt attributionem ad substantiam, naturam habentem; ideò substantia huiusmodi obiectum attributionis nuncupatur; cætera verò, quæ in huius gratiam tractantur (vt dixi) non sunt obiecta, aut subiecta, quia solùm corpus naturale subiicitur disputationi, reliqua verò dicuntur obiecti passiones, & cetera; sicuti patet in oratione benè ordinata, in qua vnum constituitur tractandum, puta Iustitia; in huius verò gratiam omnia in oratione digeruntur.

8 Solet etiam diuidi Obiectum in primarium, & secundarium; non est autem diuisio obiecti adæquati, sed potiùs inadæquati, sic Deus dicitur obiectum primarium in Theologia; secundarium verò reliqua, quæ sic subiiciuntur considerationi Theologicæ, vt tamen ad pleniorem obiecti primarii cognitionem ordinentur; de qua sectione in tertia parte Summæ Philosophicæ ad libros de Anima.

Rursum Obiectum adæquatum aliud est adæquatum simpliciter, aliud in genere: in genere est quod adæquat partem, vt verbi gratia demonstratio est adæquatum in genere, hoc est Librorum Posteriorum; discursus verò simpliciter, quia totius operis Dialectices.

Iterum adæquatum est biceps extensiuè nempe, & intensiuè; vt post Caietanum prima parte, quæstione decimaquarta articulo quarto notauit Fonseca secundo Metaphysicæ capitulo primo quæstione secunda sectione septima, Adæquatum intensiuè nuncupatur, quod ita obiicitur potentiæ, vt ab ea perfectè attingi queat; sic ens sensibile censetur obiectum adæquatum intensiuè intellectus humani pro statu præsentis vitæ: nam solum quod sensibus obiicitur, ab intellectu pro hoc statu adamussim percipi potest: *Caiet.* *Fonseca*

ens

ens verò vt sic censetur adæquatum extensiuè; quia ens vt sic pro hoc statu aliqualiter percipi potest: his similia habes in Seraphico dist. 14. lib. 3. ar. 1. quæst. 2. nam color est adæquatum obiectum extensiuum oculi; at verò oculi infirmi non est adæquatum intensiuè: quippe oculus infirmus quemcunque colorem intueri minimè potest. Et hæc de multiplici Subiecto ex communi doctrina sæpiùs in Scholis repetita. S. Bon.

10 Extat tamen peculiaris quædam apud Seraphicum quæstione prima prœmiali obiecti partitio non spernenda. Triceps igitur in scientia docet constitui posse subiectum secundùm triplicem eorum, quæ in illa scientia tractantur, considerationem: omnia enim, quæ in aliqua Scientia tractantur, considerari possunt vel in ordine ad totum vniuersale, vel in ordine ad totum integrale, vel in ordine ad principium radicale. In ordine ad totum vniuersale erit, verbi gratia, in arte Grāmaticæ vox literata ad aliquid significādum ordinabilis: In ordine verò ad totum integrale erit tota oratio integra, & perfecta: In ordine tandem ad principium radicale erunt literæ A. B. D. & cæteræ.

11 Superat iam in huius calce Capituli, vt videamus, num idem sint in Scientia subiectum, & intentio?

Tractat hanc difficultatem Zabarella de tribus Præcognitis cap. 6. cui sic occurrit dicens, subiectum, & intentionem re idem esse, differre ratione, seu consideratione; subiectum enim respicit notum, intentio verò circa ignota versatur; nam intentio scientiæ est indagare proprietates latentes de subiecto noto; puta Metaphysicę scopus est, quærere passiones occultas entis cogniti, vt, ijs propalatis, plena & exacta de subiecto notitia habeatur. Eandem doctrinam breuiusculùm tradiderat iam multò ante Seraphicus quæst. 1. Prologi, argumento tertio, sic dicens. Illud est subiectum in libro, circa quod versatur auctoris intentio; vt in Theologia tota intentio auctoris est versari circa credibile, quod quidem præsupponitur, quòd est, & quid significet; versatur verò circa ipsum ad eius occultas proprietates manifestandas. Et de his hactenus. Zabar. D. Bon.

## Quæ sint Conditiones Subiecti?

## Cap. II.

Ex quo iam abundè ostensum est, nullum esse inter Subiectum, & Obiectum discrimen; atque adeò tam obiectum,

quàm subiectum eisdem prorsus partitionibus esse obnoxium; superat, vt quædam hic graues emergentes enodentur difficultates, ex quarum solutione, quid sit formaliter Obiectum, & Subiectum candidissimè constabit.

Quæritur itaquè Primò, vtrũ subiectum primò in se virtualiter omnes illius habitus, & sciẽtiæ, cuius est subiectum, veritates cohibeat? De qua quæstione aliqua inter Doctores vel in hac explicanda propositione extat controuersia.

Scotus 2 Principio Scotus quęstione tertia Prologi ibi *De secundo dico.* hanc conclusionem tanquàm indubitatam his verbis proponit. *De secundo dico, quòd ratio primi subiecti est continere in se primò virtualiter omnes veritates illius habitus, cuius est.* Probat nilominus conclusionẽ duplici argumento: alterum est. Obiectum primum cõtinet propositiones immediatas, quia est subiectum illarum, propositiones immediatæ continent mediatas, quia sunt earum conclusiones, ergo continet omnes propositiones sui habitus; etenim omnes propositiones vel sunt mediatæ, vel immediatæ. Alterum argumentum. Obiectum se habet sicut causa efficiens respectu scientiæ, sed causa non dicitur adæquata suo effectui, nisi totum effectum virtualiter cohibeat, Ergo obiectum adæquatum totam scientiam virtualiter continere debet: Minor huius Syllogismi est euidens: Maior supponitur, quæ suo loco à Scoto demonstratur. Porrò pra hac Scoti doctrina propugnanda, quam multivariè impugnare tentarũt,

Fauent. Fauentin. Theor. 5. cap. 2. duo præmittenda monet, licèt in veritate alterum tantũmodò proponat, nempe Scotum non de omni obiecto, atqui de obiecto specifico duntaxat, seu partiali, non verò generico, & totali esse locutum: in quo, ait, plurimi Scotistarum, eandem doctrinam etiam obiectis genericis & totalibus applicare volentes, decepti sunt; quòd verò de solo obiecto specifico seu partis, quod in idem redit, præfata Scoti doctrina accipienda sit, primò ex eodem Scoto ibidem ad secundum ostendit: secundò quia verè (vt multi aduersùs Scotum ratiocinantur) aliter eius opinio saluari minimè potest. Addo ego, Scotum, vt ex titulo quæstionis patet, non de subiecto in communi, sed de primo verba fecisse; sic enim titulum citatæ quęstionis ponit. *Vtrum Theologia sit de Deo tanquam subiecto primo?* Quod vt declaret, doctrinam de primo subiecto præmittit, vt quæstioni, & interrogationi responsio consentiat; verum est hoc primum obiectum vocare adæquatum, quod

quod videtur dirimere conclusionem, si enim adæquatum est, non specificum, aut partis erit. Cæterùm facilè est pro Scoto respondere, dicendo, adæquatum esse duplex, absolutè, & in genere; & de hoc, non de illo loquitur Scotus; idem etiam de qua primitate loquatur cum dicit; *primum subiectum*, se declarat dicens, *primitas hic accipitur, secundùm quod dicit adæquationem*, & pa ulò post, *Expono*, ait, *quod dixi, primò virtualiter, quia sicut illud est primum ens, quod non dependet ab alio, sed alia ab illo, ita hic obiectum primò continere est non dependere ab alijs in continendo, sed alia ab ipso*, Sic Scotus. Per quæ facillimum putat Fauentinus, eũ ab omnibus aduersariorum vendicare calumnijs. Cæterùm, missis longioribus altercationibus, quas exactè recenset Fauentinus citato loco; breuiter dubitationi sic occurrendum censeo.

3 *Suppono in primis ex Seraphico*, non de quocunque subiecto propositionem illam esse intelligendam. Distinguit enim ipse subiectum in principium radicale, totum vniuersale, & totum integrale, de quibus supra: certissimum est itaque, subiectum, vt principium, non continere omnia, cùm potiùs principij sit contineri, quàm continere; ni principium capiatur, prout conuertitur cum causa efficienti: quo pacto idem S. Doctor quæst. 1. Prologi, Deum principium rerum omnium vocat, atque adeò subiectum in Theologia vt principium: restat ergo, vt solùm de subiecto, vt toto, propositio illa intelligatur; & si est sermo de subiecto, vt toto integrali, subiectum vtique non tantùm virtualiter, sed plerunque formaliter omnia, quæ sunt scientiæ, complectitur; quod patet in subiecto totali Dialecticæ, quod est Discursus, vel Grammaticæ, quod est oratio congrua, & perfecta: hoc quippe subiectum integrale complectitur & vniuersale, & radicale: vnde discursus terminos simplices, ac propositiones, & omnes species argumentationis comprehendit; & oratio congrua elementa, syllabas, & voces sic, vt, cognito distinctè discursu, necessium sit cognoscere terminos, propositiones, &c. verum est, obiectum etiam integrale non continere passiones, & affectiones aut formaliter, aut virtualiter, & ita substantia, naturam habens, non complectitur tempus, motum, infinitũ, & cætera; neque opus est, vt hæc obiectum comprehendat virtualiter, atqui solùm attributiuè, inquantum hæc omnia attributionem ad obiectum integrale important. S.Bon.

Argumentum autem Scoti,

quòd scilicet obiectum se habeat vt causa efficiens ad habitum, nullius momenti est; quia, vt probabitur suo loco, obiectum non concurrit efficienter ad productionem actuum,& habituum; quanquam negari non potest, quin scientia acquisita aliquo modo causetur ab obiecto; vt etiam fatetur S. Bon. in 2. dist. 27. ar. 1 q. 1. ad vltimum. S. Bon.

4 Concludo itaque, subiectum adæquatum totale continere omnia, quæ tractantur in scientia, vt cum alijs docet Seraphicus ea quæst. 1. Prologi, S. Bon. siue quia continet formaliter, siue quia originaliter; omnia enim, quæ tractantur in scientia, aut sunt partes subiecti, sicut materia, & forma substantiæ naturalis, & Cælum, & elementa: siue quia continet originaliter; motus enim, & quies, & aliæ affectiones originantur à substantia naturali, sicut passiones à subiecto, vel immediatè, vt prędictæ, vel mediatè, vt tempus, infinitas, & cetera; vel quia continet attributiuè, vt locum, & alia huiusmodi. Et de hac prima dubitatione hactenus.

5 Quęritur Secundò. vtrum obiectum debeat esse vniuocum? In hac dubitatione communis est ferè omnium Philosophorum, ac Theologorum opinio, non esse conditionem subiecti, vt sit vniuocum: sic quippe supponunt quotquot ens analogū esse, simulque Metaphysicæ obiectum affirmant; in quibus est Seraphicus cum aliis ferè innumeris, suo loco in Summa Met. relatis; claris verò verbis insinuat Zabarella. Zabar. Cæterùm Scotistæ vniuocationem esse conditionem obiecti, arbitrantur, quos ad concordiam aliorum redigere conatur Fauentinus Theoremate 4. aiens, se quoque cum Scotistis admittere, Fauent. subiectum esse analogum, ex quo sustinent, analogum siue ab vno, stare cum vniuocatione; sic ille; ex quibus deducitur, dato, analogum non stare cum vniuocatione, non esse sufficiens ad obiectum constituendum, quod probat Fauentinus; nam scientia est vna, ergo vnum subiectum, aut ergo vnitate generica, aut vnitate specifica, & quacunque semper vniuocum erit, quoniam tam genus, quàm species vniuoca sunt.

6 Nos certè, licèt in dubitatione parui momenti diu immorari suppudescimus, Asserimus nilominus breuiter, vniuocationem (esto etiam sit verè ab analogia discreta) non esse conditionem subiecti, cùm vnitas scientiæ rectè in sola, & simplici analogia seruetur; vnitas quippe scientiæ non est vnitas generica, aut specifica propriè, sed vnitas potestatiua, ac similiter obiectum est vnum non genere, aut specie, sed

sed potestate, vt infra clariùs patebit; quæ vnitas potestatiua perfectè in analogia saluatur.

7 Quæritur Tertiò, an sit conditio subiecti, quòd habeat principia, partes, & passiones? Huic difficultati consueuit hoc modo à Doctoribus satisfieri. Distinguunt primò, aliud esse quærere de principijs, aliud de partibus, aliud de passionibus; & quantum ad principia, docet Fauentinus Theor. 4. statim in principio post Scotum quæst. 3. prol. subiectum necessariò exigere principia cognoscendi, neutiquam verò essendi. Hanc posteriorem partem probat primò, quòd subiectum Met. est ens, quod non constat ex principiis essendi. Secundò idipsum probat de subiecto Theologiæ, Deo scilicet. Tertiò de subiecto Philosophiæ, quod est substantia corporea naturalis, seu corpus naturale; nam Cælum, ait, non constat ex principiis essendi; & certè quidquid sit de his argumentis, quæ non sine sua transeunt difficultate, præsertim primum, & vltimum; nulla ratio suadet, subiectum principiis essendi constare oportere; quippe omnis res qualiscunque potest disputationi substerni. Priorem verò partem probat, quia passiones non aliter demonstrantur de subiecto, quàm per illa principia, vnde abs illis nulla de inhærentia passionum in subiecto scientia haberi posset: idipsum videtur quoad vtranque partem docere ad literam Suarez in Met disp. 1. sect. 1. à num. 25.

Fauent. Scotus Suarez.

8 Iam verò loquendo de partibus, distinguit idem Fauentinus ibidem post Scotum, & Zabarel. Lib. de tribus Præcogn. cap. 2. de duplici subiecto, generico scilicet, & specifico, seu totius, & partis; & hoc negant habere partes; quia licèt species habeat sub se indiuidua, de eis tamen, vt de singularibus, non habetur scientia: quare non est opus, subiectum habere partes subiectiuas, nec etiam partes integrales, cùm res simplex possit esse subiectum, vt dictum est; non ergo erit conditio subiecti, quòd habeat partes, licèt subiectum genericum habeat, non quà subiectum formaliter, sed quà genus.

Fauent. Scotus Zabar.

Quòd verò sit conditio subiecti, vt habeat passiones, non solùm præfati Doctores perspicuè fatentur, verùm quotquot de hac materia scribunt, indubitanter supponunt; currit enim frequens hæc in Scholis propositio, passiones in Scientijs de subiecto demonstrari. Vide Zabarel. cap. 3. citati Libelli.

Zabar.

Sin verò meam mihi de hac re liceat proferre sententiam; Assero primò mihi indubitatum videri, nil ad naturam subiecti conficere, quòd ex principijs

con-

constet; æquè enim apta est subijci, & substerni cognitioni res simplex, ac composita: vt verò de principijs cognoscendi loquar, obseruo, aliud esse principia Scientiæ, aliud principia obiecti. propterea.

9 Assero Secundò, mihi itidem indubitatum videri, non esse conditionem subiecti, vt habeat principia cognoscendi; nec argumentum à Fauentino adductum ad id astruendum, cogit. Aduerte nilominus, in vnaquaq; scientia præscribi propria principia, quibus illa innititur, quæ principia supponuntur, sicut & subiectum; vt auctor est Philosophus communi omnium Sapientum calculo receptus. Porrò cùm omnis scientia sit de aliquo subiecto semper, eatenus principia scientiæ principia subiecti censeri possunt, quatenus ipsi scientiæ ad subiectum percipiendum, eiusque passiones demonstrandas deseruiunt: & fors Fauentinus non distat à nobis in facto, licèt discrepet sermone.

Arist.

10 Assero Tertiò cum Zabarella, non esse conditionem subiecti, vt habeat partes, siue loquamur de subiecto generico, siue specifico, totius, siue partis, adæquato, vel inadæquato. Vt assertio aliquantò candidiùs explicetur, aduerte, aliud esse subiectum habere partes, aliud id ei conuenire, quà subiectum; quidem fieri non potest, vt subiectum commune, & genericum aliquas sub se partes non cohibeat siue integrales, siue subiectiuas, ex quo totum integrale, & vniuersale à Seraphico, & aliis cōmuniter censetur; quòd tamē id ei, quà subiectum est, non conueniat, inde facilè patet; quòd Deus, qui nec est totum integrale, nec totum vniuersale, alicuius scientiæ subiectum esse potest; immò si esset conditio subiecti, quà subiectum, vt haberet partes, id sanè de quocunque subiecto etiam specifico verum existeret, quippe quòd subiectum specificum verè est subiectum: verùm pauca intelligenti sufficere existimo, vnde ad vlteriora progrediens,

11 Assero Quartò, non esse conditionem subiecti, vt habeat passiones propriè. Probatur. nā Deus est subiectum alicuius scientiæ vel primarium, & tamē nullam est in Deo reperire passionem, cùm omnia in Deo sit ipsemet Deus. Dixi, propriè; nam quòd subiectum vel habeat proprias passiones, vel quidpiā vice passionum, quod de eo demonstretur, aliis certum visum fuit; ex quo præfato gestierunt occurrere argumento; verùm neque horum opinioni adhęreo, quia subiectum scientiæ potest esse quodcunq; scibile; & per accidens est, subiecto inhærere passiones, aut aliud quippiam,

quod

quod de eo demonstretur; sufficit quippe, vt subiectum toti scientiæ substernatur, vt benè Zabarel. Cap. 2. de tribus Præcogn. quòd verò subijciatur passionibus, & affectionibus, extra naturam subiecti est, sicut quòd substernatur partibus; & si quidem subiectum passiones habet, & partes, verum est ijs omnibus subijci, vt Zabarella fatetur, non tamen quà subiectum.

Zabar.

12 Vnum autem aduerte ex eodem Zabar. ibidem, ex quo magis nostræ veritas assertionis lucebit; nũquam in scientia passionem, & affectionem fungi vice subiecti eius scientiæ, in qua est accidens, quanquam in alia scientia subiecti vices gerere nõ incongruit. Exemplum est apud eundem Zabar. de numero, & magnitudine; numerus enim, & magnitudo in Philosophia non possunt vlla ratione subiecti partes agere, cùm subiectum in Philosophia sit substantia his substans accidentibus; eadem tamen in Mathematicis subiectum agunt; non enim in Mathematica, vt alijs inhærent, verùm potiùs, vt alijs substant, considerantur. Et de his hactenus.

Zabar.

13 Quæritur Quartò, an sit conditio subiecti vt sit ens reale? Zabar. sanè hance inter alias subiecti conditiones Cap. 2. de tribus præcogn. sepiùs citato cõ numerat, sic fatus, *Subiectum igitur scientiæ speculatiuæ debet esse ens, & necessarium*, de quo autem ente loqueretur, se declarauit, mox dicens, *Vt igitur aliquod scientiæ speculatiuæ subiectum sit, hæc tantùm requiruntur; primum quidem, vt ipsum per se sit ens; hoc est, vt absque humana cogitatione, vel operatione existat.* sic ille; & fors ob hanc causam aliqui ab obiecto Metaphysicæ ens rationis excludendum existimarunt, in quibus est Suarez suo loco in Met. citandus. Ego verò licèt de facto cum his consentiam, nullum scilicet, quod non sit ens reale, alicui scientiæ subiectum substerni, quod alij non pauci inficiantur, & ij potissimùm, qui ens rationis Logicæ obiectum constituunt: nilominus nulla ratio mihi obstare videtur, quin absolutè ens etiam rationis subiectum scientię constitui possit; atque adeò non esse conditionem subiecti, vt sit ens reale; quod sic ostendo: de ente rationis potest haberi sciẽtia, Ergo ens rationis est scibile, ergo, & cętera. Seq. patet; Antecedens probatur, tum quia Aristoteles sæpè in scientijs agit de entibus rationis, præsertim priuationibus; vt in lib. de Anim. de tenebris; tum quia (vt dictum est supra vbi de Demonstratione, Lib. 1. tractat. 6. capit. 11. num. 13.) datur demonstratio à cau-

à causa negatiua, & tamen effectus negatiuus à causa negatiua non est ens reale. Vide Aristot. 1. Poster. cap. 20. sileo eos, qui ens rationis esse subiectum in Dialectica, & præsertim in Metaphysica rati sunt.

Arist.

14 Quæritur Quintò, vtrùm de subiecto præcognoscendum sit quid nominis, & quid rei, seu quia est, & quid est? In hac dubitatione vnum est certum, & citra controuersiam; alterum dubium, & controuersum. Certum est, de subiecto præcognognoscendum quid nominis, & quia est; hoc enim clarè indicat Aristoteles, communiter receptus, cum quo transit etiam Seraphicus in quodam Opusculo titulo Principium Sacræ Scripturæ prænotato, sic fatus, *Ens primum in prima Philosophia subiectum esse non potest, quia à primo Philosopho ens primum inquiritur: in scientia autem de subiecto præcognoscendum est, & quid est, quod dicitur per nomen, & quia est, & nullo modo debet inquiri, vt dicit Philosophus*: Hæc S. Bon. concorditer ad alios de priori parte dubitationis; ego sanè, vt quid de hac priori parte quæstionis sentiam, paucis perstringam; notandum censui, aliter de subiecto partis esse loquendum. Si ergo sit sermo de subiecto totius scientiæ.

D.Bon.

15 Assero primò de subiecto præcognoscendum quia est in ea scientia, & non debere inquiri non solùm à priori, & per se, vt communiter omnes testãtur, verùm neque à posteriori, & per accidens; quod addo propter Scotum, Caietanum, & Franciscum Suarez; quorum hic postremus disp. 1. Met. sect. 4. num. 11. sequutus ad literam Caietanum 1. par. quæst. 2. ar. 3. statim in initio asserit, commune illud axioma debere, per se loquendo, intelligi; per accidens .n. non inconuenit, scientiam aliquam quoad nos demonstrare suum obiectum. Scotus verò, quẽ sequitur Fauentinus Theo. 2. ait, in scientia posse subiectum à posteriori demonstrari. Addidi ergo posteriorem partem conclusionis, vt hanc horum, cæteroqui eruditissimorum, limitationem excluderem Virorum: meam autem sententiam, quam ex verbis illis Seraphici superiùs adductis; *Et nullo modo debet inquiri*, vt probem, vnum apud omnes confessum suppono; omnem scilicet scientiam inuoluere aliquod subiectum semper; scientia enim necessariò refertur ad scibile, licèt scibile non referatur ad scientiam. Dico scientiam referri ad scibile, quia hic de scientia, non de sciẽte est sermo; & nos asserimus, scientiam supponere suum obiectum, vt nullo modo de eius existentia inquiratur: quod sic iam

Suarez. Caiet. Scotus Fauent.

iam probo. Scientia simul est cum scibili, ergo scientia omniquaque scibile esse præsupponit: benè verum est, scientem nonnunquam posse dubitare de subiecto scientiæ; atque adeò egere aliquo discursu, vt de subiecti existentia certior efficiatur: ideo non solùm à posteriori, verùm etiam à priori non incongruit, scientem inquirere de subiecti existentia; & fortasse Caietanus, Suarez, & si qui alij sunt, qui de subiecto scientiam inquirere posse per accidens, arbitrati sunt, de sciente, non scientia loqui voluerunt: id quod indicant satis clarè Suarez, & Caietanus citati, dum alter ait, hoc prouenire per accidens; quia nos ob nostri ingenij pusillitatem, & exilem luminis participationem subiecta ignoramus, ideo non omnino ea esse præsupponimus. Alter verò, cùm ait, id esse per accidens quoad nos; quamobrem ex data distinctione facillimum est aduersas conciliare opiniones. Stat ergo conclusio; Scientiam nullo modo inquirere de existentia subiecti; etsi non incongruit, scientem aliquando non solùm à posteriori (vt præfati Doctores aiebant) verùm etiam à priori subiectum, quia est, demonstrare.

16 Assero Secundò, non inconuenire in tota scientia inquirere de existentia subiecti partialis. Est exemplum in Metaphysica, quæ, cùm præsupponat, ens esse; inquirit tamen entia particularia: similiter in Philosophia, vt patet; quæritur enim, An dentur corpora mixta, substantiæ simplices, & cætera; benè verum est in ea parte scientiæ, in qua quid subiectum constituitur, de eo minimè inquiri, nisi eo modo, quo sciens de subiecto totali, iuxta præcedentis conclusionis limitationem, inuestigat. Hanc assertionem incidenter post scriptum non sine animi alacritate inueni apud Mendozam, qui disputatione tertia Metaphysicæ sectione tertia sub initio sæpè ita se docuisse testatur. Vnum hic pro coronide addã; quando dicitur de subiecto præsupponendum quia est, debere intelligi de esse essentiæ, non actualis existentiæ, à qua abstrahitur scientia, vt vberiùs dicam iamiam. Mend.

An verò, sicut præsupponitur in scientia de subiecto quia est, sic pariformiter præsupponatur quid est, aliquam inter Doctores reperio controuersiam, & Scotus in 3. distinctione 14. quæstione secunda ibi *Istud etiam confirmatur per Philosophum*, non solum ait, iuxta Aristot. de subiecto præcognoscendum quid

quid est, verumetiam id in particulari, sic fatus, *Istud etiam confirmatur per Philosophum 1. Poster. qui vult, quòd oportet maximè cognoscere de subiecto, quid est*. Ratio est, quia in quidditate subiecti virtualiter includitur tota ratio scientiæ; atque ita cum Scoto transeunt alij Scotistæ, ac præcipuè Fauentinus Theor. 3. qui pro Scoticæ doctrinæ defensione aduersùs Zabarellam, & Balduinum eam impugnantes strenuè laborat.

Fauent.

Vnum tamen ego hic non prætermittendum censui, cum Fauentinus Scoti rationem adeò firmam supputarit, vt adductis Zabarellæ argumentis in hæc verba illico proruperit; *Verùm ista rationes non cogunt, opposita enim conclusio nimis forti fundamento roboratur*. hoc, inquam, non supprimendum duxi; rationem Scoti esse satis diminutam; inferiùs enim Fauentinus ipse Theor. 5. declarans, quo pacto subiectum primò virtualiter omnes scientiæ habitus contineat, vi argumentorum pressus, ait, veram esse illam propositionem de subiecto specifico, non generico; & apertè fatetur, subiectum genericum non continere virtualiter totam rationem scientiæ: quare si quid probat argumentum Scoti, solùm de subiecto specifico, non autem generico; cum tamen illam propositionem de generico non de specifico Scotus, & eius Asseclæ accipiendam affirment. Adde, in scientia totali non inconuenire, si subiectum partis perquiratur; & ita à Philosopho traditur natura, & definitio corporis simplicis, & elementi, &c. sed ad rem redeamus.

Zabar.

In contrarium stat Zabarella de tribus præcognitis cap. 2. statim in principio, & cap. 4. circa medium, negans de subiecto præcognoscendum quid est; addit tamen subiectum quoad quid ante omnia cognitione distincta esse cognoscendum. Mitto argumenta, quæ corradit Fauentinus citato loco, eademque dirimit, & pro veritate stabilienda fundamenta substerno.

Zabar.

18 In primis ergo nobis optimè consultum fore existimamus, si causam præcognitionum in scientia inuestigemus. Diximus autem in priori parte quæsiti, ob id de subiecto præcognosci quia est, quòd scientia est de aliquo subiecto semper: addiderim verò cum Suarez vbi supra; cum dicitur scientia præsupponere subiectum, non ita accipiendum, quasi scientia præsupponat subiectum actu existere, cùm isthæc existentia (vt optimè ante Suarium notarat Seraphicus in 1. dist. 39. dub. 3. & 4. lit. & quæst. vltima dist. 41. corp.) scientiæ minimè ne-

Suarez

S. Bon.

nessa-

cessaria sit, quæ inuariabiles rerum existentias tantummodo contemplatur. Dicitur ergo scientia præsupponere obiectū eo modo, quo ad scientiæ quidditatem attinet, inquantum nimirum scientia supponit aliquid, quod eidem subijciatur; incongruum enim esset, scientiam velle tractare de eo, quod non est. Hæc autem ratio non currit in præcognitione Quid est; quippe nil est incommodi, scientiam tractare de eo quod quidditatiuè non cognoscit; cùm præsertim circa cognitionem eiusdem subiecti disputatio scientiæ versetur; atque ita Dialectica, quid sit discursus, quid syllogismus, quid tres operationes intellectus, quid voces, vt experientia patet, edocet. Philosophia pariter suum subiectum esse substantiam tàm inanimatam, quàm animatam naturæ obnoxiam tradit; & ex proposito quid ens naturale, in quouè essentialiter ab artificiali discerminet, & alia his similia, quidditatem sui subiecti concernentia, expendit. Mathematica etiam quid magnitudo, quid figura, quid numerus, definit: Ex quibus clarè deducitur, non esse incongruum, scientias quidditatem sui subiecti, per se loquendo, inuestigare. Quaptropter

19 Afferendum existimo, de subiecto in scientia non præsupponi quid sit, sed per se inquiri tum à posteriori, tum à priori, & quidditatiuè definiri. Sic eruditè admodum Zabarella, cuius argumenta supprimens, alia quædam strictim ego propono. Et primò nullum est inconueniens, de subiecto quid rei in sciētia doceri. Ergo. Antecedens probatur; quia cessat causa, ob quam præsupponitur quid nominis, quę non est alia, nisi quòd incongruum est, scientiam velle de aliquo tractare, quod non est; si enim non est, non est scientiæ subijcibile, vt patet; supposito itaque subiectum esse, de quo scientia tractet, mox scientia quid ipsum subiectum sit, inuestigare aggreditur, vt, natura illius perspecta, faciliùs, eiusdem passiones, & affectiones percipiat. Deinde hoc ipsum probatur inductione in omnibus sciētijs, quæ quidditatiuam suorum subiectorum definitionem adducunt, vti inducèndo superiùs demonstratum est. Quò verò argumentum maioris roboris existat, placet illud ad hominem contra Scotum dirigere: docet Scotus, syllogismum esse subiectum in Dialectica; ecquis ignorat, Dialecticam non pręcognoscere de syllogismo quid rei? cùm immò tota in explicanda syllogismi quidditate versetur: vnde Aristoteles syllogismum definit, ac eiusdem definitionem expendit. Denique ratio a Scoto obiecta, vt etiam tactum est, Zabar.

non

non de omni subiecto, atqui de solo specifico procedit, quod subiectum specificum nilominus non præcognosci adeò certum existimo, vt nefas sit in dubium vocare: si enim de specifico non præcognoscitur quid nominis, multò minùs quid rei.

Arist. 20 Tota difficultas est in verbis Aristotelis, quę leguntur cap. 1. 1. Post. explicandis, ait ergo Philosophus. *Bifariàm necessarium est præcognoscere: alia namque quod sunt præsuscipere necessarium: alia verò quid est quod dicitur, intelligere oportet: alia autem ambo*. Sic ille, ex quibus tria esse præcognoscenda, duas verò præcognitiones, Doctores excerpunt: præcognitiones insinuat Aristoteles dicens, bifariàm necessarium præcognoscere, quod sunt scilicet, & quid est quod dicitur; subdit verò de aliquibus sufficere pręscire quod sunt, de aliquibus quid est quod dicitur, de aliquibus vtrumque; & communiter ista pręcognoscenda numerantur: passio, principia, & subiectum: de passione dicit præcognoscendum quod est, de principijs quid est quod dicitur, de subiecto vtrumque. Porrò Fauent. Fauentinus, vt Scoti opinionem tueatur, subdistinguit præcognitiones dicens, sub pręcognitione quid est [quod dicitur] comprehendi quid rei, & quid nominis; [sub præcognitione verò quod est simplicem, & complexam; ait ergo de subiecto præcognoscendum quod est incomplexè, non complexè, quia id præcognoscitur de principijs, idest complexè; porrò cognoscere quod est incomplexè, est cognoscere rem suo modo existere; cognoscere verò complexe, est cognoscere verum esse: atque ita explicat etiam To- Tolet. letus ad cap. 1. 1. Poster.

Vtriusque verò huiusce cognitionis meminit Seraphicus S. Bon. in 1. dist. 39. dub. 4. literæ alijs tamen verbis. Præter autem hâc cognitionem incomplexam de subiecto quod sit, ait etiam debere præcognosci quid est, quod pertinet ad quidditatem: atque sic ait glossandum Aristotelem; cùm præcognitio quid nominis sit communis omnibus demonstrationem ingredientibus; ergo per præcognitionem quid est debet intelligi præcognitio quidditatiua. Sic Fauentinus. Alij aliter.

21 Verùm missis altercationibus; primò notandum venit, Arist. Aristotelem eo loci non loqui de quocunque subiecto, atqui de subiecto propositionis, quamquam communiter ad subiectū scientiarum ob consimilem analogiam contextus extendatur. Ait verò Aristoteles eo loci, tria ad demonstrationem conficiendam debere præcognosci, passionem scilicet seu prædicatum, sub-

subiectum, seu datum, & principia; de prædicato præcognoscendum quod est, de principijs quid est quod dicitur, de subiecto verò vtrumque quod est, & quid est quod dicitur: tota difficultas est in declarãda hac particula, quid est quod dicitur; & Toletus ait sic intelligendum, idest quid significent, exempli causa, de homine præcognoscendum quod sit homo, & quid significet homo; ita Zabarella cap. 6. de tribus præcogn. statim in principio; De principijs & quid significent, idest quid significet hoc principium, totum est maius sua parte, quia hoc cognito, & cognitis terminis, intellectus eidem abs alio præuio discursu assentitur; itaut nõ de præcognitione quidditatis, atqui de cognitione, quam nomen importat, Aristoteles loquatur: neque enim idem sunt prorsus cognitio quod est, & quid nomen significet. Vult ergo Aristoteles de subiecto vtrumque præcognosci, puta à Metaphysica quod sit ens, & quid hoc nomine significetur; similiter à Philosophia, quod substantia naturalis, & quid hoc nomine significetur. Et per hæc patet Aristotelem non loqui de cognitione quid rei, & essentiali: vel dic, Aristotelem requirere vtique de subiecto præcognitionem quid est in actuali demonstratione, qua passio actu de subiecto demonstratur; nam impossibile est cognoscere hominem esse risibilem, quin præcognoscatur hominem esse rationalem, &c.

*Zabar.*

## Agitur de vnitate Scientiæ.

## Cap. III.

TRipartitò consueuerunt Doctores scientiam vnam appellare. Primò numericè, quæ vnitas potest reperiri tam in scientia actuali, quàm habituali: habitualis vna est, quæ in vno reperitur subiecto: actualis vna est, quæ ab vnica potentia, & vno tempore deducitur, vt actus, quo cognoscit Petrus Deum beatificè, vnus est, quia continuus est, nec interruptus, & ab vna producitur. Deinde specificè. Tandem genericè, quam vnitatem ab obiecto, & fine sumendam esse, omnes ferè Doctores existimant; itaut illa sit vna scientia specifica, vel generica, quæ vnum obiectum specificum, vel genericum contemplatur, & ad vnum finem specificum, vel genericum ordinatur, quod obiectum debet

L esse

esse formale, non materiale, sic etiam finis debet esse principalis. Ex quo deducitur, Theologiam esse vnam scientiam genericam, quia vnum obiectum genericum formale contemplatur; ita vnam esse Metaphysicam, ita vnam Philosophiam, ita vnam Dialecticam; quia quidquid tractatur in his scientijs, quamuis sit materialiter diuersum, vnum tamen est formaliter, & ad vnum finem principalem ordinatum; nam verbi gratia, quamuis Cæli, elementa, mixta sint diuersa materialiter, sub vna tamen ratione formali, quatenus scilicet sunt corpora naturalia, à Philosopho considerantur. Quæ licèt dicta sint probabiliter, nunquam tamen mihi planè probari potuerunt.

Primò quidem, quia non ideo vna est potentia, quia vnum habet obiectum, sed potiùs vnum est obiectum, quia vna est potentia determinata ad tale obiectum, verbi gratia, non ideo potentia visiua est vna, quia vnum est obiectum eius, sed potiùs vnum est obiectum, quia vna est potentia limitata ex natura sua ad tale obiectum; ergo etiam in scientia magis vnum est obiectum alicuius scientiæ, quia ex sua natura illa scientia est finita, & limitata ad tale obiectum.

Secundò, hoc clariùs patet, si ad Deum nos conuertamus; vnica enim scientia infinita, vt vna est, plura Deus obiecta distincta formaliter cognoscit; ergo vnitas, aut pluralitas scientiæ non est sumenda ab vno formali obiecto, sed ex natura propria cuiuslibet habitus scientifici, qui, cùm sint ex se finiti, & limitati, ad vnum tantum, vt vnum est, se formaliter extendunt.

2 Duo postremò monuerim: alterum, habitualem cognitionem cuiusque particularis conclusionis esse vnum habitum specificum ex se determinatum, & ab alijs distinctum: quo fit, vt vna scientia totalis, verbi gratia, Logica non sit vnus habitus specificus, cùm ex pluribus habitibus huiusmodi integretur, sed eatenus dicitur vnus, quatenus omnis conclusio ad vnam totalem scientiam ordinatur; vt benè ait *S. Bon.* in 4. dist. 14. par. 1. ar. 2. quæst. 1. in fine corp. Alterum, vnitatem scientiæ non esse vnius generis in species propriè, sed vnius potentialis in partes potestatiuas; vt suo loco in Metaphysica vberiùs, & exactiùs expendetur. *S. Bon.*

Agi-

## Agitur de Certitudine Scientiæ.

## Cap. IV.

CErtitudinem esse scientiæ conditionem, conspicuè docet Aristoteles 1. Poster. 2. inquiens, scientiam esse cognitionem rei per causam, & quòd aliter esse non possit: cùm autem duplex sit certitudo, altera in re ipsa, altera in intellectu sciente, dubitare quis posset, vtrùm vtraque hæc certitudo ad scientiam propriè dictam requiratur. Et partem affirmatiuã, indiscriminatim de mente Philosophi eo loco asserit esse tenendam Zabarella lib. 1. de natura Logicæ cap. 3. *Duplicem*, sic fatus, *in scientia Aristoteles requirit necessitatem, alteram in re scita, alteram in animo scientis; altera harum conditionum vtrauis sublata non habemus scientiam*: sic ille, qui licèt vtatur nomine necessitatis, nilominus pro eodem necessitatem, ac certitudinem accipere, ipsa eiusdem verba non obscurè declarant. Ego verò nullam harum conditionum ad scientiam propriè dictam esse necessariam existimo, cùm vera scientiæ ratio abs scientis certitudine, ac rerum scitarum necessitate saluetur; & quidem quòd de rebus non necessarijs in se possit haberi scientia, patet; nam cognoscuntur singularia perfectè, sicut & vniuersalia; benè requiritur necessitas rei scitæ pro tempore, quo scitur; quo fit, vt si per impossibile essentiæ rerum essent variabiles, adhuc earum esset notitia certa; satis enim est, vt tunc temporis necessariam cum intellectu habeant conformitatem; ideo nunc scio hominem esse risibilem, quia rationalis; nec tollitur vera scientia ob id, quòd fieri possit, aliquando non ita esse, hominem scilicet non esse risibilem, aut non esse risibilem, quia rationalis; quòd etiam non exigatur certitudo scientis, inde facilè probatur, quia hæc est vera scientia, homo est risibilis, quia rationalis, etsi ego aliunde solum de hac re habeam opinionem: scientia ergo in se nō exigit certitudinem scientis, verum est in sciente eam non esse scientiam.

2 Bifariàm autem contingit vnam scientiam esse alia certiorem. Primò in se, vt illa sit certior, quæ obiectum certius, & inuariabilius considerat, quo pacto Theologia est omnium certissima: deinde Metaphysica, quippe quæ tractat de ente necessario primo, & independenti, atque, vt ait S. Bonauentura,

Arist. Zabar.

nudas essentias, & abstractiones inuestigat; tertius locus debetur Physicæ maximè autem illi parti, quę de Anima, & Corporibus cælestibus agit: post hanc sunt disciplinæ Mathematicæ; quæ circa obiectum maximè variabile versantur. Secundò quoad nos, vt illa sit certior, quæ cadit magis sub sensu, per quem patet nobis aditus ad veritatem rerum attingendam; & hæc certitudo est scientiæ accidentalis, in qua omnino est inuertendus ordo, vt primum locum teneant disciplinæ Mathematicæ, secundum Philosophia naturalis, tertium Metaphysica, vltimum Theologia, cuius obiectum subterfugit omnem sensū.

3 Rursus scientia vna potest esse alia certior duplici ex capite; vel ratione fundamentorum, quibus innititur; vel ex modo procedendi. Si comparemus scientias quoad primam certitudinem, clarum est, Theologiam esse omnium certissimam, quippe quæ innititur fundamentis fidei, & veritati Diuinæ, qua nihil certius esse aut cogitari potest: qua de re legendus S. Bonau. in opusc. de princip. Sacræ Scripturæ. Secundo loco sunt disciplinæ Mathæmaticæ, quæ principijs per se manifestis innituntur, & ideo etiam facillimè discuntur. Tertio loco est Metaphysica, quæ principijs omnium primis, & generalissimis innititur, quam etiam in euentū necessitatis assumūt aliæ scientiæ ad sua principia probanda, & demonstranda. Post hanc est Physica; & vltimo loco Dialectica. Hinc verò deducitur, principia ipsa, quibus scientiæ innituntur, debere esse certiora, aut saltem æquè certa, atq; adeò habitum principiorum, seu sciētiā de principijs omniū certissimā.

At in modo procedendi vltimum locum habent disciplinæ Mathematicæ, quæ meritò etiā à scientia propriè dicta excluduntur, quia solis aliquibus principijs ex se manifestis innitentes nullam vnquam probant conclusionem ratiocinatione, vel discursu. In penultimo loco collocatur Theologia, quæ magis ex probabilibus, quàm ex necessarijs in disserendo procedit. Hāc immediatè antecedit Dialectica, quæ tum ex probabilibus, tum aliquando etiam ex necessarijs suas conclusiones probat. Hac quoq; superior est naturalis Philosophia, quæ, licèt præcipuas suas conclusiones probet à priori, & per causam, alias tamen vt plurimùm probat à posteriori, & à signo. Prima autem omnium est Metaphysica, quæ omnium habet nobilissimas demonstrationes, & ratiocinationes.

S. Bon.

Agi-

## Agitur de dignitate, & nobilitate Scientiæ.

### Cap. V.

NObilitas, & dignitas sciētiarum duplici ex capite inuestigari potest; ex fine; & ex obiecto. Ratione finis illa est nobilior, quæ ad nobiliorem finem ordinatur. Ratione verò obiecti, quæ nobilius obiectum contemplatur. Si ergo requiramus obiectum, primum locum tenet, quæ de Deo, & Diuinis mysteriis diuino quodam stylo pertractat; adde etiam esse omnium nobilissimam respectu finis, qui est tum Deum cognoscere, & res Diuinas, tum etiam res Diuinas opere complere. Secundum locum ratione obiecti tenet Metaphysica, quæ omne ens, vt ens est, cognitione contemplatur. Sic Sanctus Bonauentura citato opusculo de principio Sacræ Scripturæ, qui optimè addit, obiectum Metaphysicæ esse vniuersalissimum, quippe quod omnem entis differentiam complectitur. Tertium locum habet Physica naturalis, maximè quæ agit de Anima, & corporibus Cælestibus: ita Sanctus Doctor ibidem. Quarto loco ponuntur disciplinæ Mathematicæ, quæ circa ens accidentale, nempe quantitatem versantur. Vltimum vendicat Logica, quæ tractat de discursu, qui, quia quodammodo deflectit ad naturam entis rationis, omnium infimus est.

S. Bon.

2 At si speculatiuę cum practicis comparentur, vna excepta Theologia, quæ omni ex capite omnium nobilissima iūre meritò iudicatur, difficillimum est, quænam sit dignior, explicare, speculatiua, an practica. Et quia huius difficultatis solutio pendet ex cognitione nobilitatis potentiæ intellectiuæ inter affectiuam, ad alium locum remittimus, vbi quænam sit nobilior potentia, intellectus ne an voluntas, discutiemus. Deniq; si practicæ comparentur ad inuicem, primum locum tenet Politica, omnibusque alijs enimentia longè antecellit. Vnde qui in Republica primatum tenent, appellari consueuerunt Personæ, quod est nomen dignitatis, honoris, & maiestatis. Secundo loco ponitur Oeconomica, deinde Ethica, quæ tamen est aliarum vtilitate prima; qui enim sibi consulere nescit, multò minùs Reipublicæ, aut familiæ sciet prouidere; vnde ait Apostolus, *Si quis autem domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit?*

S. Paul.

Vltimò est Medicina, quæ tantò alijs est ignobilior, quantò ignobilius est corpus anima, & sanitas corporalis spirituali. Addunt aliqui certitudinem, ad cuius mensuram afferunt, nobilitatem Scientiarum esse metiẽdam: de qua in capit. præcedenti.

## Agitur de subalternatione Scientiæ.

### Cap. VI.

Circa naturam Scientiæ subalternantis, & subalternatæ illud ante omnia notandum venit, quod notauit Suarez disput. 1. Metaphys. sect. 5. num. 46. totam rem hanc ex nominis etymologia esse sumendam; si quis enim neget ea, quæ communiter ad essentiam scientiæ subalternantis, aut subalternatæ spectare feruntur; non alia is sui erroris via facilè conuinci poterit, quàm ex nominis significatione: porro Dialectici, de propositionibus subalternis verba facientes, nil aliud ad earum naturam spectare asseuerant, quàm quòd vna propositio sit sub altera; hoc enim significat *Subalternus*, vt colligitur etiam ex Calepino eodem titulo, hoc est esse sub altero, sicut particulare sub vniuersali; quæ doctrina si scientijs esset aptanda, facillimum foret vtiquè omnium in hac re obrepentium filum obtruncare difficultatum. Cæterùm Scientifici aliquantò seriùs in explicanda natura subalternarum scientiarum incedunt. Ex quo colligitur, vocis huiusce significationem esse prorsus ad placitum Aristotelis, qui in Anteprædicamentis cap. 4. distinctionem facit inter genera subalternatim posita, & subalterna; & subalterna quidem ait esse, quæ sub se, & supra se alia genera habent; subalternatim verò posita ea, quorum vnum continetur sub altero: ex quibus adhuc clariùs lucet, materiam hanc esse totam ad libitum; de qua nullus, quem viderim, solicitiùs, & abundantiùs Iacobo Zabarella de tribus præcogn. à cap. 12.

2 Quidquid sit, communis ferè Scribentium opinio frequentiori calculo recepta, tres, ait, ad perfectam scientiarum subalternationem conditiones desiderari, quas insinuat Pererius lib. 1. suæ Philosophiæ cap. 13. statim in principio, dapsiliùs autem illustrat ex Scoto Fauentinus Theor. 12. qui ait, eas ab omnibus admitti, quamquam in earundem declaratione, præsertim verò secundæ, vbi dicitur, subiectum subalternatæ contrahi per differentiam accidentalem, nonnihil controuersiæ vigeat; cùm enim in subiecto duo con-

Marginal notes: *Suarez.* *Calep.* *Arist.* *Zabar.* *Perer.* *Fauent.*

considerentur, & quod formale, & quod materiale, ortum est dubium, vtrùm videlicet illa differentia accidentalis, quam addit scientia subalternata ad subalternantem, sit formale sui obiecti, materiale verò sit idem met subiectum subalternantis, exempli causa, sit Medicina, quę consideret corpus naturale, vt sanabile, quæ est differentia accidentaria addita ipsi corpori naturali; dubitatur, num formale Medicinæ sit sanabile, materiale verò corpus naturale, an potiùs corpus naturale sit formale tã Philosophię, quàm Medicinę. Huic difficultati non vnum ab omnibus video adhiberi respon sũ; & licèt Zab. c 12 citati superiùs libelli sub initium, communem omnium afferat esse sententiam, differentiam illam accidẽtalem, quam addit subalternata subiecto subalternantis, esse eidem pro forma, totum verò subiectum subalternantis pro materia; quam doctrinam idem auctor omnino à vero esse alienam, demõstrare conatur: Alios nilominus præter ipsum ab ea opinione inueni esse diuersos; pro cuius rei intelligentia illud monendum censuerim, præscriptam difficultatem aliam quandam habere annexam dubitationem, cui vtique eadem solutione occurrendum est.

Zabar.

3 Dubitatio est, vtrum scientia subalternata sit essentialiter à subalternante distincta, sic, vt duę scientię haberi queãt; & Pererius quidem vir non mediocriter disciplinis philosophicis eruditus c. 14. lib. 1. suæ Philosoph. in expensione 5. argum. clarè docet, scientiam subalternatam non differre per se, & essentialiter à subalternante; ex qua doctrina infert, sustineri non posse, reliquas scientias subalternari primæ philosophiæ, quia iam duæ scientiæ per se primò distinctæ minimè darentur, quod toti disputationi de scientia refragatur; pro qua opinione adducit particulam 43. ex lib 1 Poster & hæc sanè est illa opinio, quam aduersùs Doctorum communitatem propugnare se iactat Zabarella vbi supra, quam sui acuitate ingenij celebrem reddidit, ac apertè scientiam subalternatam à subalternante non esse essentialiter diuersã nec perinde sub iectũ vnius à subiecto alterius, constanter asseuerauit, in quo alios decipi ostendit; ex quo verum illud antiquum monet esse proloquium, scientias scilicet subalternatas non facere numerum, quod tum verbis, tum factis præsepè Aristoteles indicauit.

Perer.

4 Contrariam nilominus sententiam, scientiam scilicet subalternatam esse a subalternante diuersam insinuauit Suarez disputione prima Meta-

L 4 phy-

physicæ sectione quinta à num. 45 vbi num. 47. hæc formalia verba habet. *Ex quo fit, vt subalternatio vera non sit, nisi inter scientias diuersas*; & num. 49. concludens, necessarium esse ad totalem subalternationem, vt subiectum subalternatę acciden talem subiecto subalternantis differentiam apponat, proti nus hanc rationem subtexuit, *Nam ex hac coniunctione prouenit, vt scientia, quæ specialiter considerat proprietates ex illo coniuncto vt sic, manantes, sit diuersa scientia ab ea, quæ abstrabit ab illa compositione*. Sic Suarius, cui concors est Fonseca 4. Metaphysicæ cap. primo quæst. 1. sect. 2. & haud dubiè Fauentinus superiùs relatus ad rationem præsertim Zabarellæ, Scotus, & alij non pauci: verum est Fauentinum eundem in solutione alterius dubij incidentis asserere, scientias subalternas non esse essentialiter, atqui accidentaliter tantùm diuer sas, in quo à scientijs non subalternis discrepant. Reliquum est, vt quid in hac rè inuoluta verum esse credamus, breuiter aperiamus.

Fonseca. Fauent. Scotus

5 Mitto primò doctrinam illam de triplici subalternatione à parte finis, principiorum, & subiecti, quam ex Fonseca adducit, & celebrat Mendoza sect. 8. disp. 1. Metaph. cuius tamen idem Fonseca nõ auctor fuit, sed magis promotor, cùm ipse in initio sectionis secundæ doctrinam illam communiter circumferri, ingenuè fateatur, cuius & meminere Pererius c. 15. etsi is non de subalternatione, atqui subiectione, quæ duo in hac re non esse idem omnes ferè testantur, loquatur; & Trigosius p. 1. quæst. 1. art. 3. dub. 4 notab. 2.

Mend. Perer. Trigos.

Mitto similiter restrictionem, quam ex Caietano ad ar. 2. q. 1. par. 1. producit Valentia tom. 1. disp. 1. quæst. 1. punct. 3. §. 2. statim in principio, vbi ait, ea omnia, quæ ad essentiam scientiæ subalternantis, & subalternatæ diffusè ab alijs traduntur, in hoc vnum strinctim colligi, nempe in hoc solùm sitam esse naturam subalternationis, quòd scientia subalternata quoad euidentiã suarum conclusionũ per se, & essentialiter à sciẽtia subalternãte, quatenus principia, seu præmissæ, ex quibus concludit subalternata, nonnisi per subalternantẽ sint euidentia, pendet;

Caiet. Valent.

Mitto, inquam, hæc omnia, quia videntur propria cuiuslibet esse commenta: & supposito, dari aliquam subalternationem.

6 Asserendum censeo, scientias subalternatas eas esse primò, quarum vna, idest inferior, quæ etiam dicitur subalternata, includitur in altera, idest superiori, quæ etiam dicitur subalternans: & de hoc nul-

nullam video posse esse discordiam; quippe id prorsus sonat verbum, subalternatio, sicuti in materia de propositionibus sub alternis omnes scribentes fatentur; cæterùm quia hoc modo solæ illæ scientiæ dicerentur subalternæ, quæ habent se sicut genus, & species, seu tanquam pars, & totum, atque adeò in vna scientia totali respectu suarum partium, puta in Philosophia respectu librorum de Cælo, & cætera; vera reperiretur subalternatio, quod nullus ex Doctoribus facilè concedit; idcirco aliquid vlteriùs adinueniendum est. Scitè propterea Seraphicus quæst. 2. prologi ad 4. ait, non omnem determinationem trahentem in partem facere subalternationem, sed determinationem quodammodo distrahentem, qualis est differentia accidentalis; hæc enim sic determinat, & contrahit, vt quodammodo distrahat; scientia enim de linea recta non dicitur subalternari Geometrię, quia rectum est differentia non distrahens lineam, scientia verò de linea visuali sic, nam visuale sic contrahit, vt distrahat. Sic tradit breuiter Seraphicus, qui in paucis exactam scientiæ subalternatæ naturam explicauit.

S. Bon.

7 Est ergo scientia subalternata illa, cui idem prorsus subiectum materiale, & formale per se substernitur, quod subalternanti, atque adeò quæ ijsdem prorsus innititur principijs, quæ à subalternante tanquam superiori, & priori supponuntur; addit tamen subalternata toti subiecto subalternantis aliquam differentiam accidentalem, quæ propterea non potest habere rationem subiecti materialis, aut formalis per se, atque adeò non potest sub alia specie subalternatam à subalternante constituere; itaut subiectum adæquatum subalternatæ sit compositum quid ex toto subiecto subalternantis, & ex illa differentia accidentali. Verbi gratia. Medicina dicetur scientia subalternata ei scientiæ, quæ de corpore humano disputat, quia Medicina considerat per se idemmet corpus humanum sanabile, dico, sanabile, non quà sanabile, ne videar velle constituere propriam rationem Medicinæ sanabilitatem à corpore humano distinctam, hoc enim falsum est, iam enim ly sanabile haberet rationem differentiæ substantialis, & contrahentis ad aliam speciem; verùm Medicina considerat idem corpus sanabile, quà corpus humanum sanabile: vt autem res adhuc lucidiùs clarescat, exeamus terminos Philosophiæ. In Theologia morali aiunt Theologi

logi considerari peccata, seu actus humanos peccaminosos, quà peccaminosos, atque in eadem subdunt tractari de peccatis reseruatis; seu actibus humanis peccaminosis reseruatis; certissimum est, eam partem Theologiæ, quæ de de huiusmodi reseruatis agit, non considerare peccata sub hac ratione præcisa, quà reseruata, immo agit, de peccatis, seu actibus humanis quà peccaminosi, & reseruati, ita ut subiectū illius partis Theologiæ sit actus peccaminosus reseruatus, quà est actus peccaminosus huiusmodi; ideo vnum est subiectum, quod toti Theologiæ, & illi parti subijcitur, nisi quòd in ea parte consideratur actus peccaminosus cùm hac differentia accidentali, quòd est reseruatus; ideo pars illa rectè dicitur esse eadem scientia cum tota Theologia morali, nec constituere diuersam scientiam per se; verèque est subalternata toti Theologiæ morali. Ex quo colligitur, etiam intra eandem scientiam posse dari veram subalternationem, vt patet in exemplo allato (etsi Suarez, & alij ferè tam recentiores, quàm vetustiores negent) quod indicauit Sanctus Bonauentura vbi supra, inquiens, subalternatam redigi ad eandem scientiam subalternantem, non tanquam partem integralem, aut subiectiuam principalem, sed sicut redigitur totum per accidens ad totum per se; atque ita patet verum dixisse Pererium, & Zabarellam aientes, vnam esse scientiam subalternatam, & subalternantem; & subalternatam non facere numerum, aut speciem.

*S. Bon.*

*Pe-er. Zabar.*

TRACTA-

# TRACTATVS QVARTVS

## DE SCIENTIAE ACQVISITIONE

### *CAPITA HVIVS TRACTATVS.*



## An, & quomodo Scientia acquiratur?

### Cap. I.

Omissis habitibus infusis, omnem disciplinam, ac scientiam intellectiuam ex præexistenti fieri cognitione docet Philosophus 1. Poster. cap. 1. siue enim loquamur de cognitione simplici intellectiua, siue de complexa, & discursiua, semper præcedat aliqua cognitio necesse est. Nam in cognitione simplici intellectiua saltem præcedere debet cognitio sensuum; in cognitione verò complexa, & discursiua antecedere debet cognitio terminorum, & præmissarum, ex quarum cognitione scientia conclusionis deducitur. De hoc dubium nulli esse potest. Verùm maxima est controuersia de cognitione principiorum, & earum propositionum, quas esse per se notas omnis ferè Doctorum concordat auctoritas: D. Bon. 2. sent. dist. 39. art. 1. quæst. 2. tria refert Philosophorum placita de origine habituum cognitiuorum, & primò quidem omnes in eo conuenire testatur, quòd habitus partim sint à natura, partim verò ab arte, & industria; verùm in modo assignando diuersimodè sensisse adiungit.

*Arist.* *D. Bon.*

2 Alij enim dixerunt, habitus

tus esse innatos quoad intellectum agentem, acquisitos verò quoad possibilem, atque ita dixere sensisse Philosophum, quando dixit, Animam esse veluti tabulam rasam, idest quoad intellectum possibilem, qui postmodum perficitur recipiendo species à sensibus, quibus mediantibus in intellectu possibili habitus scientifici generantur.

Alij dixerunt, habitus esse innatos quoad cognitionem vniuersalem, acquisitos verò quoad particularem: siue, esse innatos quoad principia per se nota, acquisitos verò quoad conclusiones ex principijs deductas. Sed neutra harum positionum plenè satisfacit. Si enim intellectus haberet habitus innatos, iam Anima à sua conditione non esset ignara, sed potiùs multiscia, vt benè aduertit idem Seraphicus; quod falsissimum esse tum ipsa experientia apertè demonstrat, tum clarè de omnibus Philosophus affirmat. *Arist.* Multùm propterea à veritate alienum est existimare, prima principia esse naturaliter ab homine cognita, quia, vt vult idem Philosophus, cognitio principiorum acquiritur per sensus, memoriam, & experientiam.

3 Egregiè propterea Seraphicus Doctor vbi supra concludit ex propria sententia, quamcunque cognitionem tam principiorum, quàm conclusionum ex præexistenti fieri cognitione. Neque tamen docet, habitus scientificos esse vndequaque acquisitos, cùm aliquo modo sint etiam innati. In cuius rei declarationē aduertit, duo necessariò cōcurrere ad cognitionem cuiuscunq; rei; Primò præsentiā obiecti potentiæ cognoscenti, quod obiectum vel sit immediatè præsens, sicuti est Gloriosus Deus intellectui cuiusque Beati; vel sit præsens per aliquam sui similitudinem, sicuti sunt omnia obiecta extrinseca præsentia sensui, & intellectui mediantibus speciebus. Secundò lumen, quo mediante, potentia de obiecto præsenti iudicium ferre possit. Et quòd ita se habeat cognitio in intellectu, suadet cognitio in sensu, quia potentia sensitiua & requirit obiectum præsens, & lumen aliquod, vt possit circa obiectum facere sensationem. Ergo ex Seraphico Doctore omnis habitus est innatus quoad lumen, quia scilicet intellectui est quoddam lumen à natura inditum, quo mediante, intellectus naturaliter habet omnium rerum innatam cognitionem; & ex communi prouerbio, quò maius est lumen in intellectu, tantò faciliùs cognoscit, & intelligit.

4 Quò verò ad obiecta omnis habitus est acquisitus, eo quia nullum est intellectui obiectum

iectum præsens, nisi fiat præsens mediantibus speciebus per sensum ad intellectum delatis. Et hoc voluit Aristoteles in illo dicto superiùs allato, Intellectum videlicet esse veluti tabulam rasam, in qua nihil à natura depictum sit, quia nulla species cuiuscumque rei est à natura intellectui humano indita.

5 Sed illud hic est maximè aduertendum ex Seraphico Doctore vbi supra, quædam ita esse ex se manifesta, vt eo ipso, quo sunt intellectui præsentia, statim lumine naturæ cognoscantur, qualia sunt principia communiter dicta per se nota; eo enim ipso, quòd intellectui sit præsens per sensum, verbi gratia, totum & pars, statim intellectus nullo alio præuio discursu percipit, totum esse maius sua parte: Alia verò esse, quæ, etiamsi intellectui fiant præsentia, non tamen statim cognoscuntur, cognitis etiam terminis, sed adhuc indigent ratione, & discursu, per quem mens inducatur ad illa percipienda; cuiusmodi est hæc, & alia similis propositio: *Cœlum mouetur*: non enim statim percipit intellectus hanc veritatem, licèt quid Cœlum, quidue moueri sit, agnoscat.

6 Ergo habitus & quodammodo sunt innati, & quodammodo acquisiti: innati quoad lumen à natura inditum intellectui: acquisiti quoad obiecta, quæ fiunt præsentia per sensus, memoriam, & experientiam; atque adeò omnis disciplina ex præexistenti fit cognitione, aut propositionum, sicut in ijs, quæ non sunt per se nota; aut terminorum, sicut in ijs, quæ sunt per se manifesta.

## Num omnis Scientia acquiratur per sensum?

## Cap. II.

Apparuit, scientias rerum eatenus dici acquisitas, quatenus obiecta cognoscibilia intus in intellectum ab extra per sensus immittuntur; mox verò dubitabit aliquis, an verum sit, quod ait Philosophus, omnem scilicet cognitionem haberi per sensum? Et primò ipsius Aristotelis intentionem quæramus, certum enim est id, quod Capite præcedenti ex *D.Bon.* dicebamus, nempe ad quamcumq; cognitionem tum præsentiam rei cognoscendæ, tum lumen ad iudicandum necessariò requiri. Quocirca si aliqua fuerint intellectui præsentia sine sensuum ministerio, proculdubio ab intellectu absque sensibus cognosci pote- *Arist.*

poterunt. Malè propterea dixerunt aliqui, nullam absque sensuum auxilio esse possibilem cognitionem, adhærentes plus, quàm par est & rationabile, illi dicto Philosophi. *Nihil est in intellectu, quin priùs fuerit in sensu.* Non est ergo negandum, D.Bon. vt docet S.Bonauent. vbi supra, aliquam in intellectu absque sensuum ministerio haberi posse cognitionem. Cùm enim duplex sit genus rerum, aliud intellectui remotum & extrinsecum, aliud verò intellectui proximum & intrinsecum, dupliciter quoque contingit intellectum cognoscere, scilicet per sensus, & absque sensuum ministerio. Quis enim dubitat, intellectum ipsum, & totam animam esse ipsi intellectui præsentem, ac etiam proportionatum obiectum intellectus? ergo intellectus potest seipsum, & totam animam cognoscere, nullo interueniente sensuum ministerio, qui nulla alia de causa intellectui deseruiunt, nisi vt ipsi res extrinsecas faciant præsentes, & intrinsecas. Atque hinc clarè lucet, intellectum creatum non solùm seipsum cognoscere posse cognitione intuitiua, verùm etiam cæterorum hominum animas, quippe cùm eadem est omnium natura, & vna quidditas; & qui vnam videt, cæteras omnes, quantum ad notitiam attinet, intuetur: non quòd videat distinctè, sed quia in illa vna omnium aliarum quidditatem in ea eminenter repræsentatam contemplatur.

2 Quocirca sicut ex intuitiua alicuius sensibilis notitia patet accessus ad alia eiusdem naturę sensibilia cognoscenda, & quodammodo, vno perspecto, cætera eiusdem naturę in eodem perspiciuntur; eodem modo ex intuitiua alicuius intelligibilis notitia, facilī negotio præstatur intellectui accessus, & aperitur via ad alia eiusdem naturæ intelligibilia cognoscenda; quia certo quodam modo cuncta in vno contemplatur, & hoc totum nullo intercedente sensuum concursu. Quin absque eorundem sensuum ministerio poterit intellectus assurgere ad *Deum* cognoscendum, cuius imaginem, & similitudinem portat. Quare si qua mens humana à primæua sui ortus diei omnibus sensibus inueniretur orbata; adhuc tamen ad ipsum Deum O. M. cognoscendum congruo, ac valido potiretur remedio; cùm enim nil tam aptum inueniatur in tota rerum natura ad Deū explicandū, quàm mens ipsius imagine redimita, quis eat inficias, ex solo imaginis contuitu non posse ipsum imaginatum, quantum ab imagine explicatur, proportionaliter cognosci?

3 Non propterea tamen asserimus, solo lumine naturali

posse

posse intellectum Trinitatis mysterium speculari. Hinc Dominus noster IESVS Christus Patri per omnia coæqualis, & imago bonitatis eius Philippo sciscitanti, vt sibi Patrem ostenderet, respondit; *Philippe qui videt me, videt & Patrem meum*. Atque isthæc ea nituntur ratione; quòd eadem est imaginis, & imaginati natura; seu imago est perfecta imaginati expressio, si perfectam imaginis rationem spectemus. Cæterùm quia nulla creatura quantumuis perfecta eandem cum Deo potest habere naturam, sicut habent Pater, & Filius; idcirco Christus, eandem respiciens naturam, dixit Philippo. *Qui videt me, videt & Patrem meum*, denotans ex imagine intuitiuè conspecta posse imaginatum abstractiuè nedum, sed etiam intuitiuè cognosci. Quia verò extra Deum nulla est imago, quę eandem cum imaginato præseferat naturam, ea propter nos diuersitatem naturæ cum similitudine ad imaginatum spectantes tantummodo asserimus, ex imagine intuitiuè conspecta aperiri aditum ad imaginatum aliqualiter cognoscendum. Vnde qui propriam inspicit animam, non ita perfectè alias aliorum intuetur, sicut perfectè videt Patrem, qui videt Filium.

4 In duobus ergo tota stat summa quæstionis. Alterum est, intellectum non posse naturaliter habere notitiam rerum extra se positarum, nisi mediantibus sensibus, qui faciant res ipsas menti præsentes; maximè si loquamur de cognitione intuitiua, quę exigit obiectum pręsens, aut seipso, aut per sui similitudinem; & hoc innuere voluit Aristoteles in illis verbis initio capitis allatis, *Quòd nihil*, idest extrinsecùs positum, *sit in intellectu, quod prius non fuerit in sensu*, per quem ad intellectum defertur. Loquendo verò de discursiua, nil obstat, quominùs intellectus aliqua cognoscat, quæ non fuere sensibus perceptas quia sufficit, vt ea solùm, ex quibus alia deducuntur, fuerint in sensu; quod ex eo lucet, quia ex creaturis sensu, & intellectu perceptis noscitur existentia Creatoris, qui sensibus subesse non potest. *Arist.*

5 Alterum est, intellectum posse absque sensuum adminicu-ea omnia percipere, quæ sunt ipsi menti pręsentia, vt sunt ipsemet intellectus, & tota anima; nec ea solùm, quæ sunt per seipsa præsentia potest intuitiuè cognoscere, sed etiam ea omnia intelligere, quorum ipse imaginem, & similitudinem aut naturæ identitatem præfert. Quòd si obijcias, Deum esse intellectui præsentissimum; cùm omni rei (vt Theologico vtar prouerbio) præsentialissimè assistat,

nec

nec tamen intuitiuæ peruium esse viatoris notitiæ. Respondeo, ex alio capite huius disparitatis sumendam esse rationem; ex eo scilicet, quòd lumen naturale inditum homini non est tantæ claritatis, vt ad videndum Deum sufficiat; non ergo ex defectu præsentialitatis accidit homini, vt Deum in hac præsenti vita non videat, sed ex lucis tenuitate; id quod ex eo suadetur, quia in Patria, vbi maiori ac prçstantiori lumine mens irradiatur, in ipsam alioqui inaccessibilem lucem oculos figere, ac præsentem Dei vultum cernere potest.

S.Bon. 6 Hæc omnia colligi facilè poterunt ex Seraphico Bonau. quæstione illa supra citata, ex quibus alia quæstio, quæ compluribus insolubilis videbatur, dirimitur. Quid scilicet dicendum de pueris hac vita functis, antequàm alicuius sensus vsu vigerent? Dicendum est enim posse nilominus seipsos, & alia cognoscere, etiamsi nullius rei speciem retineant, & etiamsi lumine gloriæ careant; cùm & sufficiens lumen habeant, & proportionatum obiectum præsens, quod & intueri possint, atque ex ipso in aliorum notitiam deuenire; cùm maximè hoc naturale lumen sit indelebile. Sed de his vberiùs proprijs locis, nempe vbi de Anima.

## An, & quomodo Scientiæ se inuicem adiuuent in acquisitione ipsarum?

## Cap. III.

VT ea, quæ in præsenti capite proposita sunt, faciliùs percipiantur, ante omnia Notandum est, duobus modis posse nos de mutua Scientiarum vtilitate habere sermonem, siue in ordine ad proprium obiectum, siue in ordine ad obiectum aliarum. In ordine porrò ad proprium obiectum vnaquæque scientia est sibi necessaria, omnesque sibi inuicem ad perfectā cognitionē sunt quàm maximè vtiles, neque de hac re potest vel modica inter Sapientes interesse discordia; quippe sine Metaphysica, verbi gratia, aut studio comparata, aut diuinitùs infusa impossibilè est res metaphysicas nosse; similiter sine Philosophia res physicas; & hæc est potissima scientiarum vtilitas, & necessitas, quam tangit Suarez, & indicat Seraphicus tum quæst. 3. proœmiali, tum in 3. vt retuli 3.par. Summæ Philosoph. ad lib. de Anima tract. de habitibus intellectus. In ordine verò ad obiecta aliarum, illud etiam certissimum Suarez D.Bon.

num censeo, vnam scientiam ad obiecta aliarum scientiarum ritè percipienda satis esse proficuam; quippe omnes scientiæ mutuò se adiuuant adeò vt vix aliquis perfectam alicuius scientiæ notitiam habere queat, qui simul omnium notitia non calleat.

Arist. 2. Notandum rursum ex Arist. 1. Top. 9. duo genera rerum, seu problematum in vnaquaque scientia particulari tractari, quædam quidem gratia sui, quædam verò gratia aliorum, quę etiam adminiculantia appellat, de quibus aliqua maiori qua potui diligentia 3.p.Summ.Philos. ad lib. de Anima in lucem edidi. Ea ergo, quæ scientia considerat gratia sui, per se ipsam sic docet, vt ab alijs nonnisi vt adminicula doceri valeant (quod autem de problemate tradit ibi Aristoteles, idem de terminis simplicibus asserendum censeo) quò verò hæc clariora reddantur; addo non solùm in tota aliqua scientia duo huiusmodi problemata posse reperiri, verùm etiam in quacunque particulari quæstione, & dubitatione; id quod digerenti, & explicanti quæstionem facillimum erit intueri: proponitur, verbi gratia, in Dialectica hæc dubitatio, An discursus sit adæquatum Dialecticæ obiectum; vt hæc dubitatio percipiatur, duo, vel tria ad minùs necessaria sunt: alterum est cognitio terminorum, puta quid sit obiectum, quid adæquatum, quid discursus, & cætera: alterum est nexus horum terminorum: tertium & vltimum causa huius nexus, cùm scientia sit cognitio rei per causam; rursum præsupponitur cognitio causæ, cognitio ipsius cognitionis, & cætera. Hæ autem omnes cognitiones non eodem modo pertinent ad Logicam, verùm aliquæ vt gratia sui, aliquæ vt adminicula: gratia sui pertinet ad Dialecticam cognitio discursus, nexus, & scientiæ; nam per se de his tractat Logica nempe de discursu, de copula, de scientia: cognitio verò obiecti, adæquati, & causæ, & cæter. pertinet ad Dialecticam gratia eorum, idest vt adminicula; dicuntur verò adminicula, quia eorum, quæ gratia sui quæruntur, cognitionem adiuuent. Idipsum dico de problemate philosophico: quæritur in Philosophia, an materia habeat actum entitatiuum: vt huius problematis habeatur notitia, scire decet, quid sit materia, quid actus, quid entitatiuus, hæc omnia non docet Philosophia gratia sui, atqui solùm considerat materiam; gratia verò huius docet etiam, quid sit

actus, & quid entitatiuus. Item in Metaphysica proponitur quæstio, an Metaphysica sit scientia: quę difficultas, vt percipiatur, postulat primò cognitionem ipsius Metaphysicæ, deinde scientię; & primum considerat Metaphysica per se, & gratia sui; secundum verò gratia alterius: propterea quæstiones ab his, qui in scribendo ordinatè procedunt, solent in duo membra principalia distribui; in quorum vno præmittuntur ea, quæ adminicula censentur, & vocantur fundamenta, seu notanda; in altero verò assertiones gratia sui statuuntur.

3 Notandum denique Aristotelem asserere, duo hæc problemata in eadem scientia diuersa ratione considerari; quod notandum est; quippe in gratiam intelligendæ propositæ quæstionis aliqua nonnunquam adducere, quæ videntur ei loco esse extranea, non est incongruum, nec præter ordinem: tunc esset præter ordinem, quando in scientia, vel quæstione aliqua inducerentur, quæ ad veritatem percipiendam nonnisi à longè facerent; vel etiam quando in his sic tempus conteritur, ac si gratia sui in ea scientia quærerentur. His ita digestis.

4 Assero, vnam scientiam non esse per se magis vtilem ad alias acquirendas, quàm sint aliæ ad ipsam. Probatur, quia vnaquæque scientia considerat tum quæ gratia sui, tum quæ adminicula, ergo vna scientia non eget per se alia; & confirmatur: nullus enim datur ordo doctrinæ inter scientias simpliciter, & per se necessarius; nisi fortè inter Dialecticam, quæ est sermocinalis & ianua, ac alias reales; at verò inter ipsas reales neutiquam ordo doctrinæ est simpliciter, & per se necessarius: quia tamen illa adminicula per se ad alias scientias pertinent, ideo omnium scientiarum cognitio est valde mutuò vtilis, & proficua; quia quantò exactiùs adminicula sciuntur, tantò perfectiùs cætera cognoscuntur; exacta verò cognitio adminiculorum nonnisi ad scientiam, quæ ea gratia sui considerat, pertinet: horum autem adminiculorum præ alijs Metaphysica haud dubiè prægnans esse dignoscitur.

Quo

## Quo ordine Scientiæ disci debeant.

### Cap. IV.

ORdinem maximè scientijs comparandis proficuum esse, nemo non videt: quapropter non potui non mirari, quosdam Auctores in suis voluminibus, disputationibus, quæstionibus, articulis, sectionibus, paragraphis, & cæteris, digerendis adeò ab omni methodo fuisse alienos, vt nihil ordinis, quem ammussitati Scriptores pro virili seruare gestiunt, ac aliis seruandum admonent, retinuisse videantur. Porrò cùm duplex communiter à Doctoribus ordo distinguatur, naturæ videlicet, & doctrinæ; ordinem potiùs doctrinæ in scientiis acquirendis sectandum esse, omnes ferè communiter arbitrantur. De ordine naturæ plura diuersis in locis edisserit Seraphicus, quæ in præsentiarum recensere superuacaneum esset.

2 Est autem ordo naturæ, inquantum ad præsens attinet institutum, quem scientiæ ex natura sua exposcunt, vt nimirum priora, vt sunt vniuersalia, communia, simplicia, partes, & cætera particularibus compositis, & totis præmittantur; semper enim vniuersale, commune, simplex, & pars priùs natura est toto, composito, & cæt. at vt dixi, in scientiis comparandis nonnisi per accidens hic ordo seruatur.

3 Ordine verò doctrinę, qui vtique vtilior est, docet S. Tho. q. 6. opusc. 70 super Boet. de Trin. ar. 1. versùs finem, Metaphysicã addisci post Physicam, & cæteras scientias, eamque propter Metaphysicam censeri quasi *Transphysicam*, quia post Physicam resoluendo occurrit: ex quo loco Petrus Fonseca c. 5. l. 2. Met. q. 5. sect. 4. colligit sententiam S. Thomæ esse, Metaphysicam ordine doctrinæ omnium esse vltimam; quam opinionem ex Thomistis nouissimè secutus est Michael Zanard. 1. Met. sect. 8. q. 10. not. vlt. vbi hæc formalia verba habet.

S. Tho.

Fonseca

Zanar.

4 Notandum vltimò, quòd vltra supradicta Philosophus quædam alia huic scientiæ maximè pensanda attribuit: primò, quòd sit prima scientiarum, quod quidem intelligitur primitate naturæ, & perfectionis, non doctrinæ; neque verò putandus est S. Thomas sibi ipsi fuisse contrarius, eo quòd ad mentem Physicorum Metaphysicam ordine doctrinæ primam esse asseruerit; prout refert idem Petrus Fonseca his verbis

Fonseca

quòd si quis opponat D. Thomam ad initium Physicorum aientem, opus illud præcedere cæteros libros naturalis Philosophiæ, quemadmodum Metaphysica præcedit cæteras scientias; respondet enim idem Fonseca, verba illa Sancti Doctoris de ordine exquisitæ doctrinæ esse intelligenda; quid autem nomine exquisitæ doctrinæ Fonseca intelligat, inferiùs candidè declarabo. In hac eadem sententia cum D. Thoma transit Scotus in 1. dist. 2. quæst. 2. ac proinde omnes Scotistæ præsertim Fauentinus Theor. 18. cap. 3 & theor. 72. cap. 2. quam opinionem vt ab argumentis aduersariorum Fonseca faciliùs tueatur, duplicem citata quæst. 5. vbi ex proposito quæstionem non impigrè, vt solet, examinat, doctrinæ ordinem excogitauit: alterum, quem doctrinæ, seu inuentionis simpliciter appellat: alterum, quem exquisitæ doctrinæ nominat; porrò ordinem exquisitæ doctrinæ tum demum seruari asserit, cum à primis principijs, & causis rerum ad principiata, & causata, & à magis vniuersalibus ad minùs vniuersalia proceditur: ordinem verò inuentionis, & doctrinæ simpliciter teneri affirmat, cum à notioribus progreditur: qua data distinctione, respondet quæstioni asserens primo Metaphysicam ordine inuentionis postremam, ordine verò accuratæ doctrinæ primam esse censendam; atque ita duo superiùs Sancti Thomæ loca, quæ videbantur aduersa, ad concordiam reuocat: immo huc quoque respexisse Scotum ex his, quæ adducit Fauentinus theoremate 18. citato capite secundo & tertio, facillimum est coniectare; ait quippe Scotus, Metaphysicam, licèt sit prima in ordine cognitionis distinctæ, quia ipsa probat aliarum principia, ordine tamen doctrinæ esse vltimam, vbi per ordinem doctrinæ ordinem inuentionis simpliciter per ordinem cognitionis distinctæ ordinem accuratæ doctrinæ iuxta Fonsecæ explicationem intelligendum esse candidè lucet. Immo tandem ipse Suarez annuere visus est huic sic explicatæ opinioni, quamquam alijs eam terminis proponat; sic enim scribit sect. 4. de muneribus Metaphys. disp. 1. num. 10. Consequenter fatendum est, si ordo doctrinæ spectetur secundùm se Metaphysicam cæteris esse priorem, quod ex duobus prætertim eius muneribus comprobatur; quia scilicet primò proprias omnium scientiarum rationes attingit, eisque principia tribuit, terminos declarat, quibus aliæ scientiæ ad earundem supponenda, vel ostendenda

Scotus. Fauent. Fonseca. Suarez.

denda obiecta, quantum necessitas postulat, vti possunt: secundò, quia prima principia confirmat, ac tuetur; nilominus ratione nostri modi cognoscendi postremum sibi locum vendicare. Sic Suarius. Et de aliorum placitis vsque modò.

5 Ex quibus colligitur, quo ordine iuxta aliorum sententias scientiæ disci debeant. Primò enim ante omnes scientiæ sermocinales sunt discendæ, idest Grammatica, deinde Rhetorica, licèt hæc non est simpliciter necessaria; denique Dialectica. Subinde Reales, & primò Philosophia, deinde Metaphysica, vltimo loco Theologia; atque ita seruari communiter in practica video.

6 Pro resolutione quæstionis suppono vnum, quod fortasse non aduertentes citati Doctores, ad prædictam distinctionem confugere coacti sunt: Est autem, ordinem doctrinæ necessariam scientiarum connexionum, inquantùm vna non potest sine præuia alterius cognitione comparari; intrinsecè, & essentialiter postulare; quod ex eo lucet, quia ordo doctrinæ in eadem vna scientia, quoad ea, quæ in ea traduntur, reperitur, inquantùm aliqua eorum absque præuia aliorum cognitione nullatenus percipi possunt: exemplum est in Dialectica, in qua cùm de discursu, ac iudicio, & simplici apprehensione agatur, ordo doctrinæ postulat, vt ab apprehensione, & iudicio sumatur exordium, quia absque eorum cognitione, quid discursus sit, sciri nequit; vnde à terminis simplicibus ad propositiones, & ab his ad discursum ordine doctrinæ proceditur. Atque ita S. Thom. opusc. 70. quæst. 6. ar. 1. ad. 3. hæc ait. Ad 3. dicendum, quòd in addiscendo incipimus ab eo, quod magis facile, nisi necessitas aliud requirat; quandoque enim necesse est in addiscendo non incipere ab eo, quod facilius, sed ab eo, ex cuius cognitione cognitio sequentium pendet: & hac causa oportet incipere à Logica. S. Th.

7 Recolenda sunt dein duo illa rerum genera, quę in vnaquaque scientia tractari in superiori capite iuxta Arist. doctrinam cômonuimus, quorum alia sunt gratia sui, alia aliorum. Error ergo, & deceptio in Doctoribus ordinem doctrinæ considerantibus accidit; quòd propter hæc adminicula existimarunt variari ordinē doctrinæ, ꝙ vtique non est; quippe ordo non penes accidentariam, sed essentialem rerū connexionē attendi debet: veniamus ad manus: in Philosophia agitur per se de motu, qui definitur esse actus; agitur propterea Arist.

 de

de ipso actu per aliud, & vt adminiculum, quia non potest intelligi quid sit motus, quin simul sciatur quid actus: similiter agitur de motu locali per se, de loco verò per accidens, quia tanquam adminiculum localis motus cognitioni deseruit: at verò in eadem Philosophia agitur de natura per se, de motu per se, de motu locali per se; in his ergo attenditur ordo doctrinæ, quia quid sit motus localis sciri non potest, quin priùs, quid motus in comuni, apprehendatur; & quid motus in communi nescietur, si quid sit natura ignorabitur: ideo doctrinæ ordo in Philosophia postulat, vt de natura priùs, deinde de motu vt sic, deniq; de motu locali in specie agatur; etsi fortasse motus sit cognitu facilior, quàm natura, quippe qui sensibus magis subijcitur; vnde & Aristoteles ex motu naturæ quidditatẽ venatus est; vbi vides, motum ordine doctrinæ esse natura posteriorem, quia, vt dixi, in ordine attenditur quod est intrinsecum, non autem quod extrinsecum; aliquando tamen contingit simul necti quod intrinsecũ, & quod extrinsecum. His suppositis.

8 Assero Primò, inter Scientias reales, & sermocinales, intrinsecum doctrinæ ordinẽ reperiri, itaut reales, abs cognitione sermocinalium disci nequeant, atque adeò ordine doctrinæ sermocinales priùs esse discendas: Inter sermocinales itidem hunc ordinem reperiri, vt prior sit Grammatica, ac proinde ante Dialecticam discenda, Rhethorica verò, vt dixi, non est huic ordini essentialiter connexa, aut subiecta, ac ꝑinde sine ea & Dialectica, & aliæ reales, vt in multis experientia docet, disci possunt.

9 Assero Secundò, inter Philosophiam, & Metaphysicã nullum dari ordinem intrinsecum, non enim tanta est vtriusq; connexio, vt vna sine altera comparari nequeat; quo fit, vt nullum etiam ordinem doctrinæ essentialem, & intrinsecũ seruent: vnde tam Philosophia, quàm Metaphysica priùs disci potest: ordine tamen extrinseco habent se, sicut excedens ad excessum; nam Metaphysica, vt ritè percipiatur, quædam Philosophiæ adminicula necessariò requirit, præsertim motus notitiam, vt ad æterni Motoris notitiam pertingat; similiter, vt Philosophia intelligatur, quædam à Metaphysica adminicula mutuatur, in eo præsertim, quod ad materiale sui subiecti spectat, immo omnes scientiæ hoc modo se adiuuant, adeò vt nulla scientia perfectè possideri possit, nisi ab eo, qui omnia posside; sicut nulla virtus est perfecta, nisi vbi omnes vnitę existunt.

10 Assero tertiò, inter Theologiam, & alias scientias dari ordinem

dinem doctrinæ, adeò vt Theologia abs cognitione aliarū scientiarum, quæ ei famulantur, percipi nequeat: & hæc de ordine scientiarum in communi. Ex quibus colligitur, non dari ordinem doctrinæ inter scientias, quę omnino diuersum obiectum habent, solùmque inter eas, quæ cùm in subiecto quodammodo conueniant, vna sine altera ex ordinis natura, & per se percipi nequit; quod tamen fallit in sermocinalibus, respectu realium ob aliam rationem, quia nimirum sunt modus sciendi, præcipuè Dialectica, qua omnes Scientiæ necessariò vtuntur. Quò verò ad scientias singulas in his potissimùm lucet ordo doctrinæ, vt in Philosophia, Metaphysica, &c. nam, cùm vnum sit subiectum, vnitatem quandam connexionis importat; atque ita ordo in libris seruari debet primò, deinde etiam in tractatibus ipsius libri, tertiò & in quæstionibus tractatuū, ac tandem in ipsa quæstionis dispositione, de quibus non est opus alia in specie referare. Nos hæc in practica seruare conabimur, vt cuilibet legenti propalam fiet; & quantum ad ordinem librorum, tractatuum, & quæstionum suis locis cuncta disponemus, quantum ad ordinem quæstionū digerendarum hunc seruabimus, vt primò titulum, si opus fuerit, explicemus, deinde Doctorum sententias producamus, tertiò fundamēta pro quęstionis, ac veritatis notitia sternamus, quartò assertiones ponamus, quintò obiectis occurramus, ac demum totam quęstionem ad summam redigamus.

FINIS LIBRI SECVNDI.

de ipso actu per aliud, & vt adminiculum, quia non potest intelligi quid sit motus, quin simul sciatur quid actus: similiter agitur de motu locali per se, de loco verò per accidens, quia tanquam adminiculum localis motus cognitioni deseruit: at verò in eadem Philosophia agitur de natura per se, de motu per se, de motu locali per se; in his ergo attenditur ordo doctrinæ, quia quid sit motus localis sciri non potest, quin priùs, quid motus in comuni, apprehendatur; & quid motus in communi nescietur, si quid sit natura ignorabitur: ideo doctrinæ ordo in Philosophia postulat, vt de natura priùs, deinde de motu vt sic, deniq; de motu locali in specie agatur; etsi fortasse motus sit cognitu facilior, quàm natura, quippe qui sensibus magis subijcitur; vnde & Aristoteles ex motu naturæ quidditatē venatus est; vbi vides, motum ordine doctrinæ esse natura posteriorem, quia, vt dixi, in ordine attenditur quod est intrinsecum, non autem quod extrinsecum; aliquando tamen contingit simul necti quod intrinsecū, & quod extrinsecum. His suppositis;

8 Assero Primò, inter Scientias reales; & sermocinales, intrinsecum doctrinæ ordinē reperiri, itaut reales, abs cognitione sermocinalium disci nequeant, atque adeò ordine doctrine sermocinales priùs esse discendas: Inter sermocinales itidem hunc ordinem reperiri, vt prior sit Grammatica, ac proinde ante Dialecticam discenda, Rhethorica verò, vt dixi, non est huic ordini essentialiter connexa, aut subiecta, ac pinde sine ea & Dialectica, & aliæ reales, vt in multis experientia docet, disci possunt.

9 Assero Secundò, inter Philosophiam, & Metaphysicā nullum dari ordinem intrinsecum; non enim tanta est vtriusq; connexio, vt vna sine altera comparari nequeat; quo fit, vt nullum etiam ordinem doctrinæ essentialem, & intrinsecū seruent: vnde tam Philosophia, quàm Metaphysica priùs disci potest: ordine tamen extrinseco habent se, sicut excedens ad excessum; nam Metaphysica, vt ritè percipiatur, quædam Philosophiæ adminicula necessariò requirit, præsertim motus notitiam, vt ad æterni Motoris notitiam pertingat; similiter, vt Philosophia intelligatur, quædam à Metaphysica adminicula mutuatur, in eo præsertim, quod ad materiale sui subiecti spectat, immo omnes scientiæ hoc modo se adiuuant, adeò vt nulla scientia perfectè possideri possit, nisi ab eo, qui omnia posside; sicut nulla virtus est perfecta, nisi vbi omnes vnitæ existunt.

10 Assero tertiò, inter Theologiam, & alias scientias dari ordinem

dinem doctrinæ, adeò vt Theologia abs cognitione aliarū scientiarum, quæ ei famulantur, percipi nequeat: & hæc de ordine scientiarum in communi. Ex quibus colligitur, non dari ordinem doctrinæ inter scientias, quę omnino diuersum obiectum habent, solùmque inter eas, quæ cùm in subiecto quodammodo conueniant, vna sine altera ex ordinis natura, & per se percipi nequit; quod tamen fallit in sermocinalibus, respectu realium ob aliam rationem, quia nimirum sunt modus sciendi, præcipuè Dialectica, qua omnes Scientiæ necessariò vtuntur. Quò verò ad scientias singulas in his potissimùm lucet ordo doctrinæ, vt in Philosophia, Metaphysica, &c. nam, cùm vnum sit subiectum, vnitatem quandam connexionis importat; atque ita ordo in libris seruari debet primò, deinde etiam in tractatibus ipsius libri, tertiò & in quæstionibus tractatuū, ac tandem in ipsa quæstionis dispositione, de quibus non est opus alia in specie referare. Nos hæc in practica seruare conabimur, vt cuilibet legenti propalam fiet; & quantum ad ordinem librorum, tractatuum, & quæstionum suis locis cuncta disponemus, quantum ad ordinem quæstionū digerendarum hunc seruabimus, vt primò titulum, si opus fuerit, explicemus, dein Doctorum sententias producamus, tertiò fundamēta pro quęstionis, ac veritatis notitia sternamus, quartò assertiones ponamus, quintò obiectis occurramus, ac demum totam quęstionem ad summam redigamus.

FINIS LIBRI SECVNDI.

# LIBER TERTIVS DE VNIVERSALIBVS.

## Ordo Libri Tertij.

**HIC LIBER TERTIVS DVOBVS TRACTATIBVS PERSOLVETVR.**

*In Primo agemus de Vniuersalibus in communi.*
*In Secundo de ipsis Vniuersalibus in particulari; nempe de Genere, Specie, Differentia, Proprio, & Accidenti.*

TRACTA-

# TRACTATVS PRIMVS DE VNIVERSALIBVS IN COMMVNI

## *IN HOC TRACTATV VIDEBIMVS.*

1 *Quid, & quotuplex sit Vniuersale?*
2 *Num sit ens rationis, an potiùs ens reale?*
3 *Quid sit vniuersale ex cognitione Singularis illi oppositi? vbi meliùs explicatur Vniuersale.*
4 *In quo differant hæc tria, Commune, Vniuersale, & Singulare?*
5 *De varijs indiuiduorum generibus.*
6 *De varijs nominibus, quibus Singulare appellatur.*
7 *Quomodo colligendus sit numerus Vniuersalium?*

### Quid, & quotuplex sit Vniuersale?

### Cap. I.

NOn est, cur vitio nobis ascribatur, si ad hunc vsque locum Tractatum de Vniuersalibus deportauimus; quippè cùm duplex sit in disciplinis procedendi methodus: altera scilicet naturæ, in qua à prioribus ad posteriora, & à simplicioribus ad composita progreditur; altera doctrinæ, in qua à facilioribus ad difficiliora procedidur; maluimus seruare ordinem doctrinæ, quàm methodum naturæ; id enim tum vtiliùs, tum faciliùs futurum existimauimus: Certum est autem apud omnes, Vniuersalia in tota Dialectica esse difficiliora: Nec multùm curamus, si apud aliquos ignorantiæ notam fortasse incurrimus, dummodo legentibus vtilitatem ingerere possimus. Ordine igitur doctrinæ in hoc tertio libro Vniuersalia enucleanda suscepimus: Nec est, quòd in huius libri subiecto inquirendo immoremur, nec non illius tum

magna

magna vtilitate, tum necessitate; certum enim est in hoc libro tractari de quinque Vniuersalibus, siue prædicabilibus, sine quorum cognitione rectè disserere impossibile esse arbitramur. Omissis ergo ijs, quæ communiter præmitti solent, ad naturam, & varia Vniuersalium genera inquirenda progrediamur.

2 Vniuersale diuiditur Primò, vt aliud sit complexum, aliud incomplexum. Complexum est propositio quædam vniuersalis, siue affirmatiua, siue negatiua, in qua assumitur aliquod signum vniuersale; vt, *Omnis homo est animal*, *Nullus lapis est animal*, *&c.* De quo Vniuersali satis libro præcedenti digestum est. Incomplexum verò est aliquod nomen, & signum repræsentans aliquid commune pluribus; vt hoc nomen *Substantia*, quod commune est plantis, animalibus, &c. licèt nulla fiat subiecti cum prædicato complexio.

3 Rursum Vniuersale incomplexum aliud est in causando, aliud in repræsentando, aliud in essendo, siue in prædicando. Vniuersale in causādo est illud, quod est causa multorum effectuum specie differentium, cuiusmodi sunt gloriosus Deus, corporaque Cælestia, quæ ad omnes effectus in his inferioribus producendos sua vniuersali virtute concurrunt. Vniuersale in repræsentando nil aliud est, quàm aliquod signum ab hominibus assumptum ad plura significanda, & repræsentanda, vt, pes, repræsentare potest enim tum pedem hominis, tum animalis, tum denique alterius rei. Vniuersale in essendo, seu in prædicando est illud, quod de pluribus prædicari potest; & de hoc præcipuè agit Porphyrius, nosque hic loqui intendimus: Quod quidem ad quinque capita reducitur, quæ sunt hæc, scilicet, *Porphy.*

Genus
Species
Differentia
Proprium, &
Accidens.

De quibus omnibus singillatim suo ordine, ac loco disserendum erit.

4 Vniuersale igitur incomplexum, quod subiectum huius libri constituitur, hac communi S. Bonau. in 1. dist. 19. par. 2. art. 1. quæst. 2. ad 2. & aliorum descriptione notificari potest; *D.Bon.* *Vniuersale*, vt diximus, *est illud, quod de pluribus prædicari aptū est*; Idest, Vniuersale est nomen, & signum repræsentans, & significans aliquam naturam pluribus communem, eisque communicabilem; Vnde sequitur tanquam consequens, vt de illis pluribus prædicari possit; quan-

doqui-

doquidem, vt supra diximus, cum de multigena prædicationum varietate ageremus, aliquid contingit de aliquo verè prædicari, quia verè participat naturam illius prædicati; vt *Animal* est Vniuersale, quia in suo conceptu importat, & repræsentat intellectui naturam pluribus communicabilem; quo fit, vt de pluribus prædicari possit, puta de Leone, de Boue, & de Homine, quia omnibus illis communicatur natura Animalis, ac in omnibus illis realiter reperitur.

5 Quòd si quæras, num Vniuersale sit tantùm nomen, an potius etiam res?

Respondetur vtique Vniuersale, de quo hic est sermo, & nomen, & rem complecti; cum nomina sint rebus imposita ad earum naturam, & quidditatem significandam; ita vt rei *Singulari* Singulare nomen imponi, Vniuersali verò, & communi Vniuersale, & commune nomen recta ratione debeat assignari.

## Num Vniuersale sit ens rationis, an potiùs ens reale?

## Cap. II.

QVæri hic solet, vtrùm Vniuersale sit prima, an potiùs secunda intentio; Cui dubitationi breuiter occurrendum est, atque cum communi S.Bon.
in 1.d.25.dub.3.lit.& serm.4.de S. Bon.
lumin. ac aliorũ fere omniũ opinione asserendum Vniuersale, de quo Dialecticus, formaliter esse ens rationis, materialiter verò, & fundamentaliter ens reale; quia Vniuersale formaliter significat aliquam naturam communem pluribus, quam non inueniri realiter, præterquam in Diuinis, luce meridiana clariùs est. Quòd si absque vllo intellectus interuentu verum est, has propositiones, *Homo est animal, Leo est animal, &c.* realiter prædicari, hoc ideo est, quia in singulis speciebus, & indiuiduis reperitur tota natura animalis, non autem implurificata, sicut in Diuinis; vbi propter simplicitatem Diuinæ naturæ tota in qualibet persona implurificata reperitur.

2 Huiusce rei istud licet adducere argumentum; quòd in plurificatione propositionum plurificatur animal, non sic autem ad plurificationem propositionum in Diuinis plurificatur Deus. Quòd verò materialiter Vniuersale sit ens reale, ex eo patet; quia subiectum, de quo prædicatur Vniuersale formaliter, multiplex est, & varium. Cùm ergo impossibile sit, vnicam naturam realiter pluribus subiectis communica
ri; &

ri; ex oppoſito autem non repugnet, plura eſſe ſubiecta realiter diſtincta, in quibus ſingulis tota ſit natura illa, liquidò apparet, Vniuerſale formaliter eſſe ens rationis, materialiter verò eſſe ens reale. Sed de his, ſicut & de tota hac materia clariùs me videro in Metaphyſica, vbi ea Heraclio, vt dicitur, lapide rimanda relinquo.

3 Ex quo ſequitur, in definitione Vniuerſalis comprehendi tùm ſecundam, tùm primam intentionem, præcipuè verò ſecundam, ex quibus tanquam ex materia, & forma conficitur Vniuerſale, quod iure appellatur ens rationis; quia eius formale, à quo tanquam à principali facienda eſt denominatio, aut nihil eſt, aut poſterius eſt; ideſt, aut nihil in re eſt, aut, ſi aliquid eſt, per actum, & poſt actum intellectus eſt; quatenus intellectus imaginatur aliquam vnā naturam communem extra ſingularia, ac ſi illa verè, & realiter in ſe exiſteret.

## Explicatur, meliùs quid ſit Vniuerſale ex cognitione ſingularis illius oppoſiti.

## Cap. III.

VT plenior, & exactior de Vniuerſali habeatur cognitio, opreræ pretium erit, Singularis naturam inueſtigare: quippe, cùm oppoſitorum eadem ſit diſciplina, cognita natura ſingularis, facillimū fuerit etiam Vniuerſalis eſſentiam conijcere. Singulare igitur eſt id, quod de vno tantùm prædicatur S. Bonauent. in 1. diſt. 19. par. 2. ar. 1. quæſt. 2. arg. 2. cum alijs. Ideſt, Singulare, ſeu Indiuiduum (non enim hic capitur ſingulare, aut indiuiduum rigoroſè, ſed potiùs largè, & vt in idem recidunt) eſt nomen vnicam tantùm naturam ſignificans prorſus incommunicabilem: quo fit, vt de vno tantùm prædicari poſſit, vt, *Petrus*; Siquidem hoc nomen ſignificat naturam determinatam, & ita Petro communicatam, vt alteri communicari nequeat. Et licèt hoc nomen, *Petrus*, poſſit prædicari de omnibus ijs, qui hoc nomine Petri appellantur; vt, Hic homo eſt Petrus, Ille eſt Petrus, &c. in omni tamen prędicatione variatur prædicatum, quia variatur & natura: Alia enim eſt natura hominis huius, qui vocatur Petrus; & alia alterius, qui ſimiliter nomine Petri appellatur: vnde nulla alia eſt communitas, quàm nominis, & vocis. S. Bon.

2 Ex his reuertamur ad naturam Vniuerſalium, circa quæ potiſſimùm verſamur: quæ vt clariùs innoteſcat, recolenda ſunt,

sunt, & breuiter recensenda ea, quæ de nomine communi superius commemorauimus; triplicẽ nempe esse communitatem. Aliam realem, qualis est, quæ reperitur in Diuinis, vbi propter omnimodam naturæ identitatem tribus Personis commune nomen assignatur. Aliam itidem realem, quando scilicet plura communicant in aliquo bono, supra quod ius habere dicuntur, & dominium. Tertium denique rationis, quatenus plura specie, vel solo numero distincta conueniunt in aliqua natura, quam ex æquo totã singula Indiuidua participare possunt. Vbi liquidò patet, duo ad communitatẽ requiri. Primum est id, in quo plura identificantur. Secundum, res, quæ in illo identificantur; ita vt in omni communitate necessariò requiratur vnitas, & pluralitas: Vnitas respectu rei, seu naturæ identicæ: Pluralitas ratione subiectorũ, quę in illo vno identificantur. Vide Seraphicum ea D.Bon. d. 19. p. 1. ar. 1. q. 2. corp. & d. 5. dub. 2. lit. & d. 25. dub. 3.

3 Prima communitas propter suam excellentiam admittit pluralitatem suppositorum realiter distinctorum; nullo autem modo compatitur diuersitatem naturæ; sed vna & eadẽ omnino natura distinctis illis suppositis tota cõmunicatur. Vnde sequitur vnũ maximè notandũ, ad pluralitatẽ suppositorum nec entia plurificari, nec prædicata. Itaq; cũ dico, Pater est Deus, Filius est Deus, &c. non plures Deos, aut plura prædicata suppono, sed vnum Deum, & vnum omnino prædicatũ tribus Personis propter eandẽ, quã participant, naturã realiter communem. Secunda communitas compatitur pluralitatem suppositorũ, quibus realiter potest per partes distribui. Tertia cõmunitas admittit realẽ distinctionem inter plura supposita; non admittit tamen realem identitatem naturæ, in qua identificantur. Quo fit, vt ad pluralitatem suppositorum necessariò plurificentur naturæ realiter, plurificentur etiam prædicata: vnde cum dico, *Petrus est homo, Paulus est homo*, sicut duo sunt distincta subiecta, ita duo sunt diuersa entia, duę diuersæ naturæ, ac deniq; duo realiter distincta prædicata: ratio autem horum omnium inde sumenda est, quòd prior communitas non respicit ea, quibus cõmunicatur sub ratione partium quoquomodo; media verò respicit sub ratione partium integrantium; postrema sub ratione partium subiectiuarum, ad quarum numerationem numeratur totum. Sic, vt multiplicato superiori multiplicetur inferius, & contra.

4 Vt igitur ad nostri sermonis orbitam reuertamur, statuamus cũ Seraphico citatis locis S. Bon.

non

non quamcunque communitatem constituere Vniuersale logicum; nec quidquid de pluribus prædicatur, aut in pluribus reperitur, esse illud Vniuersale, quod inuestigamus: quandoquidē verè in *Diuinis* est cōmunitas nō tantùm vocis, sed etiā naturæ; est vlteriùs realis distinctio suppositorum, quibus communicatur natura illa communis, per quam fit, vt hoc nomen, *Deus*, de pluribus prædicetur. Quæ omnia quamuis ita sint, neutiquam tamen, testantibus sacris Theologis, aliquod in *Diuinis* nomen vniuersale reperitur.

His adijciamus, Vniuersale non posse esse ens reale; si enim realis distinctio suppositorum, & omnimoda identitas naturæ eis communicata sufficeret ad constituendum Vniuersale, nulla videtur posse ratione vitari, quin in Diuinis proprijssimè admittatur ratio, & natura Vniuersalis.

5. Quid ergo requiritur ad Vniuersale Logicum constituendum? Ego quidem cum Theologis conueniens in reijcienda à Diuinis ratione Vniuersalis, argumento iam iam allato, mihi persuadeo, requiri Primò præter pluralitatem subiectorum pluralitatem etiam naturarum, & prædicatorum; quod innuit S. Doctor ad 1. quæst. citatæ dist. 19. [D.Bon.] Secundò requiri actum intellectus considerantis conuenientiam subiectorum in natura non realiter, sed essentialiter; quòd omnia verbi gratia participant eandem naturam essentialiter, licèt numero distinctam. Tertiò denique abstrahentis à singulis naturam illam, & concipientis, prout est singulis communicabilis. Quo fit, vt Vniuersale in nostra sententia non dicat naturam communem singularibus communicatam, sed eandem naturam vt abstractam à pluribus, aptamque pluribus communicari. Verbi gratia *Animal* est prædicatum Vniuersale, quatenus secundùm se abstrahit, & præscindit ab esse rationali, & irrationali; & quatenus contrahibile est per varias differentias ad esse rationale, & irrationale; cùm autem dupliciter considerari possit hoc prædicatum, *Animal*, præscindere ab esse rationali, & irrationali: Aut realiter, vt scilicet sit quid reale abstractum, & seiunctum à materia, prout tamen est à pluribus participabile; sicut posuit Plato ideas illas, quæ essent veluti species rerum sensibilium: [Plato] Aut per intellectum abstrahentem à quocunque singulari, & à quacunque materia naturam Animalis, constituentemque illam sua operatione in tali esse, vt æquè plura respiciat, & pluribus numero, ac realiter inter se distinctis sit communicabilis.

Cumque

Cumque impossibile sit, reperiri naturam illam, siue ideam realiter à singularibus abstractam, necesse est, Vniuersale esse ens rationis; nullo autem pacto, nisi quò ad materiale, & radicale aliquid reale; sed aut nihil esse, scilicet actu, & realiter; aut posterius esse, posterius inquam, actu intellectus illud à singularibus abstrahentis, ac si vnumquid esset accipientis, & concipientis: ideoq; optimè S. Doctor
S.Bon. co serm. 4. vocat huiuscemodi vniuersale vnum præter multa, hoc est extra multa vnum in intellectu, & anima.

## In quo differant hæc tria, scilicet Commune, Vniuersale, & Singulare.

## Cap. IV.

CVm iam traditum sit, quid sit Vniuersale, quid Singulare, quidue denique Commune; declarandum superest, in quonam discrepent, ac in quo conueniant. Et Primò conferamus Commune cum Vniuersali: Deinde Vniuersale cum Singulari.

Commune ergo, & Vniuersale conueniunt Primò, quòd vtrunque requirit pluralitatem cum vnitate. Conueniunt Secundò, quòd vtrunque prædicatur de suis suppositis, & indiuiduis. Conueniunt Tertiò, quòd tam Commune, quàm Vniuersale in pluribus reperiri aptum est.

Differunt autem Primò, quia Commune importat actualem naturæ communicationem suis suppositis. Vniuersale autem tantùm aptitudinalem. Differunt Secundò, quia commune est aliquid actu; Vniuersale autem præscindit ab esse, & non esse. Tertiò, quia natura communis vna est omnino impluriﬁcata: Natura autem vniuersalis non est omninò vna, sed tantùm secundùm quid, & per intellectum. Quartò, natura communis etiam cum actu est communicata, communis permanet, & in sua entitate perseuerat: Natura verò vniuersalis quando actu communicata est vniuersalis amplius non est, nec vna, sed particularis, & pluriﬁcata. Quintò, natura communis non pluriﬁcat entia, quibus communicatur: At natura vniuersalis tot constituit entia distincta, quot sunt ea, quibus communicatur. Sextò, natura communis est radix, & origo pluralitatis suppositorum. Nam quia natura in Diuinis est communis, ideo necessariò plures sunt Personę, quibus communicatur: Ex opposito verò pluralitas en-

tium radix est, & fundamentum naturæ vniuersalis; quia enim plura sunt indiuidua naturam Animalis participantia, ideo vna effingitur natura vniuersalis ab intellectu. Septimò, prædicatum commune est omnino idem in omnibus prædicationibus, licèt distincta sint subiecta. Nanque cum dico, *Pater est Deus, Filius est Deus*, &c. idem prorsus enuncio de Filio, quod & de Patre: At prædicatum vniuersale varium est, ac multiplex pro varietate, & multiplicitate subiectorum; sicque cum dico, *Homo est animal, Leo est animal*, &c. aliud realiter enuncio de homine, & aliud de Leone, licèt idem per intellectum. Vltimò differunt, quia commune est aliquid reale tam ex parte naturæ, quàm ex parte suppositorum: Vniuersale verò, etsi respectu suppositorum sit ens reale, respectu tamen vnius naturæ est ens rationis; quia impossibile est, naturam esse realem, & non esse determinatam; quòd si non est determinata, & est vna, sicut requirit essentia Vniuersalis, hoc nō habet à se, sed ab intellectu. Et hæc de cōparatione vniuersalis cum Communi, de quibus adhuc abundiùs in Metaphysica.

3 Si autem cōparetur Vniuersale cum Particulari, nulla prorsus inuenietur similitudo, cùm ex diametro sibi sint aduersa; nam Vniuersale, vt dictum est, pluralitatem admittit; & exigit saltē aptitudinaliter: Singulare verò nullam secum patitur societatem, aut suppositorum pluralitatem. Ad hęc, Singulare necessariò actu est, reale, determinatum est, & incommunicabile: Vniuersale autem formaliter indifferens est, communicabile est, & ab actu essendi, vel non essendi abstrahit, & pręscindit. Denique Singulare de vno tantùm prædicatur, ita vt de pluribus prædicari nō possit: Vniuersale verò de pluribus potest prædicari, sicut & pluribus potest communicari.

## De varijs Indiuiduorum generibus.

### Cap. V.

Indiuiduum aliud est determinatum, aliud vagum. Indiuiduum vagum significat quidem rem particularem, indeterminatam tamen; vt, Quidam homo excepit benignè Christū; *quidam* enim significat hominem particularem, sed non determinat, neque explicat, quis sit ille homo. Hæc verò loquendi ratione duplici ex capite vti contingit. Aut in nominando, quia videlicet ignoratur nomen proprium rei denominandæ; aut etiam res illa nomen proprium

non

non habet. Aut in consulendo; quia nimirum consulens auferre, siue arctare non vult libertatem consilium capientis: Quo modò Seraphicus Pater noster Ministros instituens circa modum distribuendæ facultatis Nouitiorum consilium petentium dicit, *Quòd si consilium exquisierint, Ministri possint ad aliquem virum timentem Deum destinare.* Sic solemus hominibus persuadere, vt aliquem virum bonum sibi eligant, qui suarum rerum curam gerat, quem ipsi voluerint: interdum etiam ea loquendi forma ad silendam personam, ne infamiæ nota apud audientes inuratur, adhibetur.

2 Indiuiduum determinatum est id, quod naturam particularem significat determinatam: quod quidem dupliciter potest accidere. Vel per se; quando indiuidua habent propria nomina, vt, *Petrus, Paulus*, &c. Vel per aliquid additum à nobis, qui ignorantes nomina singularia cuiuscunq; rei, appellamus ea nomine communi, & vniuersali, quod singulare efficimus per additum pronomen, *Hic*; vt, *Hic arbor, Hic leo*, & cæter. vide Sanctum Bonauenturam in primo, distinctione secunda, dubit. quarta super literam, & in tertio, distinctione decima, quæstione secunda, ad primum Vel etiam per aliud additum contrahens, vt, *Liber Petri*, ex eodem Seraphico Doctore in primo, distinctione 8. quæstione 1. ad vltim. D. Bon.

3 His potest aliud tertium indiuiduum adiungi ex quodam loquendi vsu inductum: quo fit, vt id, quod est ex se vniuersale, & commune, per appropriationem proprium, ac singulare fiat; vt cum dicitur, *Saluator*; quod nomen cùm sit commune, apud Christianos factum est ex vsu proprium Christi Iesu; vt tãtum valeat, *Saluator mortuus est*, ac, *Christus Iesus mortuus est*; & sic de plerisque aliis; vt cum dicitur, *Orator*, *Poeta*, Marcus Tullius, Virgilius ex vsu intelligitur.

## De varijs nominibus, quibus singulare appellatur.

## Cap. VI.

NEmini dubiũ esse arbitror, Singulare plura, ac diuersa apud Doctores vindicare sibi nomina. In cuius rei cõfirmationẽ testẽ adhibeo ipsum Seraph. Bon. qui varijs in locis omnia nomina, quæ singulari attribui cõsueuerũt, exquisitè proponit, quę ad hęc capita reduci possũt. D. Bon.

In primis ergo id, quod de vno prædicatur, dicitur singulare, seu

Particulare. Deinde; Hoc aliquid, Res genita, Terminus generationis; Indiuiduum, Suppositum; Ens in vltima actualitate, ac denique Persona. Quæ omnia nomina, licèt plerunque pro eodem vsurpentur; nonnunquam tamen etiam ad aliquid magis declarandum, & significandum assumuntur; ita vt

2 Singulare, Hoc aliquid, Res genita, & terminus generationis extendatur ad omne id, quod de vno tantum prædicatur; siue sit accidens, siue substantia; ens artificiale, siue naturale. Itaque quidquid est in rerum natura hoc pacto, eo ipso quòd est, Singulare est, Hoc aliquid est, & cæter. Quandoquidem, vt luculenter docet Aristoteles septimo Metaphysicæ à capite septimo, vsque ad duodecimum nihil datur separatum à Singularibus, sed omnia sunt Singularia, & determinata; ad quæ Singularia tam in substantijs, quàm in accidentibus, & artificialibus terminatur actio agentis: ita vt Singulare ipsum, & hoc aliquid in quacunque actione sit res genita, & terminus ipsius generationis.

Arist.

3 Indiuiduum verò, licèt aliquo modo possit dici etiam de accidentibus, vti erudilè demonstrat Sanctus Bonauentura in tertio distinctione decima quæstione tertia, propriè tamen dicitur de substantia, proprijssimè verò de substantia completa: Et hoc dico, quia principia, ipsaque natura licèt sit indiuidua; proprijssimè tamen indiuiduum dicitur id, quod ex principijs constat, & ex natura. Suppositum verò nullo modo capitur pro accidenti, sed solummodò pro substantia, eaque completa, pro qua vsurpatur etiam tantummodò ens in vltima actualitate.

D.Bon.

Verùm Persona, quamuis idipsum importet, quod & suppositum, & ens in vltima actualitate; propriè tamen de sui ratione dicit suppositum sub natura nobili scilicet intellectuali Diuus Bonauentura in secundo, distinctione, tertia parte prima, articulo secundo, quæstione prima & secunda, & in tertio, distinctione decima, quæstione secunda: proindeque idem Seraphicus Doctor primo sententiarum distinctione vigesima tertia articulo primo quæstione prima cum reliquis Theologis nomen Personæ ad Diuina transtulere; neutiquam verò nomen singularis, aut Particularis; quia, vt ibidem ostendit Seraph. Doctor, Particulare de ratione sui nominis importat imperfectionem.

S. Bon.

Et hæc breuiter de singulari. Ex quibus omnibus vnam possumus singularis proprietatem colligere, quam ad modum definitionis explicans Porphyrius dixit, omnia, quæ ad indiuiduum constituendum intercedunt, alteri conuenire nullatenus posse; quia verbi gratia tales habet proprietates Petrus, vt nullus alius à Petro eas habere possit.

Porphy.

## Quomodo colligendus sit numerus Vniuersalium?

## Caq. VII.

**Q**Vid sit Vniuersale in communi, & in quo differat à singulari, iam definitum est, dictumque est, Vniuersale esse id, quod de pluribus aptum est prædicari. Nunc verò superest examinandum, quotuplex sit Vniuersale, quod quidem ex vario, diuersoque modo, quo aliquid de pluribus prædicari contingit, deducere possumus.

Potest ergo Primò aliquid de alio prædicari in quid, & essentialiter, vt cum alijs notauit etiam S. Bonauen. in 1. dist. 25. ar. 1. quæst. 1. ad 1. Secundò in quale, & accidentialiter. Porrò prędicatio essentialis duplex est: Alia partialis, in qua prædicatum non vndequaque adæquatur subiecto: Alia totalis, in qua prędicatum continet omne id, quod continet & subiectum. Prædicatio verò accidentalis, seu in quale triplex est: Alia in quale quid, quando prædicatur aliquid substantiale, ad modum tamen accidentis: Alia accidentalis, & communis, quando scilicet prædicatum ita inhæret subiecto, vt idem alteri si non numero, saltē specie inhærere minimè repugnet. Vltima est accidentalis propria quando prædicatum ita congruit subiecto, vt alteri ab ipso nequeat conuenire.

S.Bon.

2 Cùm igitur omnis prædicationis modus ad hæc quinque capita necessariò reducatur, quintuplex quoq; constituatur Vniuersale necessarium est. Primum erit Genus, quod prædicatur in quid de suis inferioribus inadæquatè. Secundum, Species, quæ itidem prædicatur in quid de suis inferioribus adæquatè. Tertium, Differentia, quæ prædicatur in quale quid; seu, quod idem est, prædicatur substantialiter, ad modum tamen accidentis, vt vsu Dialecticorum, quos sequitur Seraphicus in 2. dist 3. par. 1. ar. 2. quæst. 2. ad 2. loquar. Quartum erit Proprium, quod prædicatur accidentaliter de pluribus, ita tamen vt non de aliis. Vltimum est Accidens, quod prædicatur in quale, & est commune

S.Bon.

mune pluribus etiam specie distinctis, & genere,

3 Potest & aliter nec incongruè colligi sufficientia, & necessitas quinque Vniuersalium, scilicet per quæstiones quæ de vnaquaque re fieri possunt, & excitari. Si enim, verbi gratia, quæratur, quid sit Petrus? Non planè satisfit quæstioni, si dicatur, esse animal; cùm Petrus non tantum sit animal, sed etiam & maximè sit homo. Si verò quæratur qualis sit? Vt plenè huic quæstioni occurratur, respondendum erit, quòd sit rationalis, quòd sit doctus, ac denique quòd sit risibilis: hæc enim omnia conueniunt Petro, & de Petro prædicantur, diuersimodè tamen, sicut iam iam declaratum est. Concluditur ergo omni Dialecticorum assensu, quinque esse Vniuersalia incomplexa, & Logica, de quibus hic fit sermo, scilicet, Genus, Speciem, Differentiam, Proprium, & Accidens; de quibus singillatim breuiter disserendum est. Quòd si dicas, aliam ab enumeratis de re aliqua fieri posse quæstionem, puta quis est Petrus,

Resp. hanc questionem tangere quod est singulare, non vniuersale.

TRACTA-

# TRACTATVS SECVNDVS
## DE VNIVERSALIBVS IN PARTICVLARI

IN HOC TRACTATV VIDEBIMVS



## De Genere.

### Cap. I.

PRimo loco, recto nobis ordine procedentibus, Genus occurrit discutiendum; in cuius declaratione, Porphyrij exemplum imitantes, varias Generis acceptiones proponemus, vt de quo Genere in præsentiarum habeatur sermo, clarè percipiamus. *Porphy.*

Genus ergo primò dicitur id, quod habet ordinem ad aliquod principium, à quo originem trahit; vt Genus Christianorum dicuntur omnes, qui à Christo originem sumpserunt, iique sunt omnes, qui Christianam fidem profitentur.

2 Secundò dicitur Genus ipsum principium, à quo plura originem ducunt; vt Christus, à quo, tanquam à primo principio

omnes verę fidei professores nomen, & ortum sumpserunt, Genus Christianorum appellatur; Nec tantùm principium, sed etiam locus, & quodlibet aliud, à quo plura deriuantur; siue quò ad nomen, siue quò ad rem, Genus hoc secundo modo non incongruè appellari potest, vt Aegyptus genus Aegyptiorum. Quod autem hic obseruandum occurrit, est, per huiusmodi Genera non tantùm appellari, & constitui illa, quæ à Genere ducunt originem; sed etiam distingui; vt Christiani non tantùm à Christo ortum habent, sed etiam distinctionem ab omnibus his, qui Christo, eiusque veræ fidei, ac doctrinæ aduersantur: Ex qua obseruatione scirè sanè quidem deducunt aliqui, neque Deum, prout est omnium rerum principium productiuum, neque ipsas res, prout à Deo per creationem suum esse sumpserunt, propriè Genus eo modo, quo iam explicauimus, appellari posse: quandoquidem res, eo quia à Deo creantur, ad inuicem non distinguũtur. Porrò huius vtriusque acceptionis attestatur Calepinus Titulo, genus. Calep.

Tertiò dicitur Genus Prædicamentum, de quo infra in Prædicamentis.

3 Quartò dicitur Genus aliquod nomen significans aliquã naturam pluribus specie differentibus communicabilem; quo pacto à Dialectico, & à Porphyrio hic sumitur: potestque hæc definitione, seu potiùs descriptione definiri. *Genus est vniuersale, quod de pluribus specie differentibus prædicatur in quid.* Porphy. Idest, Illud est Genus, quod, cùm ex sua natura præscindat ab hac, vel illa specie, ex se aptum est de pluribus speciebus prædicari, sicut & aptum est pluribus communicari: In qua definitione duo obseruanda sunt. Alterum est, Genus non dicere actualem prædicationem de pluribus, sed aptitudinalẽ, sicut nec actualẽ verũ tãtummodo aptitudinalem in pluribus existentiam importat: cuius ratio sæpè superiùs repetita est; quia cum actu communicatur, & prædicatur, iam non est Vniuersale, sed singulare. Alterum, hanc esse descriptionem, quia traditur per quid posterius, scilicet per prædicari, quod consequitur ad esse: ideò enim Genus aptũ est de pluribus prædicari, quia aptum est pluribus communicari. Non ineptè tamen Porphyrius ad manifestandam Generis naturã vsus est potiùs verbo *Prædicari*, quàm *Cõmunicari*, quia & cognitu facilius est, & proposito accommodatius; cùm Dialecticus, cuius munus est disserendo rerum veritates inuestigare, vt plurimùm prædicationibus vtatur.

Diluun-

## Diluuntur aliquot difficultates de Genere.

### Cap. II.

EXpectabit fortasse sedulus Lector, vt hic ad vsum Recentiorum quæstiones plurimas proponamus: at quia hæc tradimus potiùs docendo, quàm ratiocinando, eas facili & exoterica methodo proponere deliberamus, quod etiam initio huius opusculi nos promisisse recordamur. Assolent ergo variè hoc loco circa Genus à Doctoribus excitari dubitationes. An scilicet recta sit Generis definitio tradita à Porphyrio? Quid sit id, quod definitione comprehenditur? Num solum nomen, an potiùs etiam natura? An definiatur prima, seu secunda intentio? ac denique. In quo differat Genus à specie, & à Differentia? cùm Genus prædicetur de pluribus differentibus numero, sicut & Species, & Differentia de pluribus differentibus specie, sicut & Genus.

2 Quibus dubitationibus sic posse plenè satisfieri existimamus, si ad Primam dicamus, quod iam dictum est, illam esse magis descriptionem, quàm definitionem.

Ad Secundam verò, si asseramus, non tantum nomen, sed etiam rem significatam per nomen, scilicet naturam vniuersalem sub hac Generis descriptione comprehendi: Quippè cum dicimus, *Homo est animal, Leo est animal*, &c. per illud prædicatum, *animal*, exprimitur, & significatur natura communis, & vniuersalis vtrique subiecto, homini scilicet, & leoni: Pro cuius rei veritate testem Aristotelem compellabo, qui plerunque Genus sub nomine vniuoco collocari asseuerauit: definiens verò nomen vniuocum dixit esse id, quod plura secundùm nomen, & secundùm eandē nominis rationem participant.

3 Ad Tertiam, si dicamus, secundam intentionem vnà cum prima hac definitione comprehendi. Secunda intentio continetur sub illo membro definitionis, *Genus est vniuersale, quod potest de pluribus prædicari*. Nanque, vt supra dictum est, nihil est in re cōmune pluribus, nec secundùm realem existentiā, nec secundùm realem prædicationem, quæ pullulat ab ipsa existentia; eo enim potest aliquid de aliquo prædicari, quia ei potest communicari. Prima verò intentio continetur sub illa voce, *De pluribus*; quia realiter plura ex æquo respiciunt naturam illam vniuersalem: Seu, quod idem est, secunda intentio attenditur respectu vnitatis; prima verò ratione pluralitatis; quæ vnitas, & pluralitas, vt ex

supradictis colligitur, necessaria est ad integrum Vniuersale constituendum. Neque tamen negandum est, principaliter definiri secundam intentionem, vt pote quæ est forma Vniuersalis, quæ simul cum prima, tanquam forma cum materia, integrum constituit Vniuersale. Potestq; hac ratione huiusce rei veritas comprobari; quia prima intentio sola, & præcisè non est quid commune; secunda verò præcisè, & sola non est ens rationis, sed potiùs chimæra, & nihil.

4 Ad vltimam, si dicamus, Genus per se primò, & immediatè respicere Species, quibus postea mediantibus, respicit etiam Specierum indiuidua: Differentiam verò, licèt prædicetur de pluribus differentibus specie, non tamen prædicari in quid, sed in quale quid, sicut clariùs infra patebit. Atque ita cõmuniter respondent Recētiores, & benè: reor tamen ipse, meliùs posse responderi, differentias sequi, quoad prædicationem, naturam generis, aut speciei, secundùm quod ipsa est, ita ut, si est generica, prædicetur in quale quid ad modum generis, &c.

5 Quæres quotuplex sit Genus? Respondetur esse triplex. Aliud summum, supra quod non est aliud Genus. Aliud infimum, infra quod non est aliud genus. Aliud medium siue subalternũ, supra, & infra quod est aliud Genus. Vbi aduerte, Genera subalterna quandoq; induere ratione generis; & est quando respiciunt inferiora: Quandoque naturam speciei, cum scilicet respiciunt superiora.

Et de genere, quantum spectat ad Dialecticum, hæc dixisse sufficiat; Metaphysica enim hęc, & reliqua huc attinentia vberiùs pertractabit.

## De Specie quid, & quotuplex sit?

## Cap. III.

ANtequam ad vlteriora progrediamur, necessarium ducimus, cuidam satisfacere obiectioni, quã posset quis in disciplinis versatus iure optimo nobis opponere; cur scilicet secũdo loco de Specie peragamus, cùm tamen Differẽtia sit ea, quę Genus ad speciem cõtrahit; qua ratione specie prior esse videtur; quo cõcesso, nihilominus magna prudentia Porphyrium secundo loco de specie respondemus supposuisse Tractatum: Siquidem, vt & alibi dixisse memini, non ordinem naturæ, sed methodum doctrinæ seruauit: Cùm ergo Genus in ordine ad Speciẽ definiatur; conueniens fuit, Generi immediatè submittere Tractatum de Specie; cùm ex Aristotele vnum relatiuum non possit

Porphy.

Arist.

possit sine alterius cognitione plenè, & perfectè cognosci. Per quam responsionem arbitramur, satis euacuari quidquid in contrarium posset opponi: Hoc ergo dubio soluto, ad propositam rem reuertamur.

2 Speciem igitur, vt à nomine incipiamus, multifariàm sumi, & vsurpari posse testatur Porphyrius hic, docetque S.Bonauent. 1. sent. dist. 31. ar. 2. q. 3. in corp. Primò enim Species dicitur forma, seu alicuius pulchritudo; quo pacto Diuinus Vates Christi pulchritudinem mirificè commendans, *Speciosus*, inquit, *forma præ filijs hominum*. Secundò Species dicitur forma, seu tota perfectio indiuidui; quo sensu Seraphicus Doctor 3. sent. dist. 2. ar. 2. quæst. 3 dicit, Speciem esse totum quid indiuidui; alioq; nomine ab eodem Seraphico Doctore appellatur ibidem forma totius ad differentiam formæ partis, quæ non est totum esse rei, cuius est pars. Tertiò sumitur Species pro quadam natura pluribus numero differentibus communicabili; estque secundum Vniuersale, de quo hic Porphyrius ex professo pertractat; potestque dupliciter definiri, secundùm quod dupliciter habet comparari; ad ea scilicet, de quibus prędicatur in quid; & ad ea, quibus ipsa subijcitur, quæq; de ea prædicantur.

S.Bon.

D.Bon.

3 Primo modo definitur sic, *Species est vniuersale, quod de pluribus numero differentibus prædicari potest in quid*. Quę descriptio satis remanet explicata ex ijs, quæ capite præcedenti de simili Generis descriptione digessimus; cùm nullum aliud inter has duas definitiones, Generis scilicet, & Speciei intercedat discrimen, nisi quod Genus prędicari potest de pluribus speciebus, species verò immediatè de pluribus indiuiduis, vt ex dictis liquidò patet; tametsi Species de suis inferioribus prędicetur adęquatè, Genus autē de suis inadequatè. not. 2

4 Secundo modo sumpta species sic definitur, *Species est, quæ est sub Genere, & de qua Genus in eo quod quid est prædicatur*; Scilicet species, cū sit quid inferius Generi, sub ipso Genere immediatè collocatur; non sicut pars sub toto, sed sicut inferius sub superiori: Quo fit, vt de ea Genus prędicari possit pdicatione recta; & hæc definitio cōpetit omni speciei tā infimæ, quā subalternæ. Nam omnis species in ratione speciei est sub suo Genere immediato; cùm Genus per differētias specificas immediatè cōtrahatur ad species. Dixi, sub ratione speciei; quia species subalterna potest esse Genus; & tūc non respicit Genus, nec ponitur sub eo, sed magis species sibi subiectas, & inferiores indigitat.

Quid

## Quid sit Species suprema, infima, & subalterna, & quomodo Species sit tota ratio, & quidditas indiuidui?

### Cap. IV.

S. Bon. DVplex apud *Seraphicum* Doctorem 3. sent. loco supraci tato, & cōmuniter apud omnes reperitur Species. Alia scilicet specialissima, infima, & atoma. Alia verò subalterna. Hæc est illa, quæ in ordine ad inferiora Genus est; in ordine verò ad superiora *Species* est; vt, *Animal*: si enim compararetur *Animal* ad ea, de quibus prædicatur in quid immediatè, scilicet ad hominem, & leonem, Genus est: at si comparetur ad superiora, & ad ea, quæ immediatè de ipso prędicantur, *Species* est; quia inferior, & posterior, vt *Animal* si compararetur ad viuēs, quod est superius, non amplius naturam Generis, sed speciei induit.

2 Illa scilicet infima, & atoma est, quæ immediatè respicit indiuidua: quo fit, vt in alias species diuidi nequeat. Ratio huius diuersitatis sumitur ex varijs differentijs speciem continentibus. Nam species subalterna, cùm contrahatur per differentiam adhuc genericam, nō constituit ea, quæ contrahit in vltima actualitate; sed adhuc possunt per aliam differentiam contrahi: Species verò atoma, cūm sit prima, & perfectissima, non est per aliam differentiam contrahibilis. Nam indiuiduum, quod immediatè subest speciei, non contrahit ipsam speciem per aliquam differentiam; sed tota natura specifica se ipsa immediatè per actualem existentiam indiuiduatur; licèt indigeat supposito, in quo supponatur; quod patet: Etenim vel illa differentia contrahens speciem ad esse indiuiduale esset quid substantiale, vel accidentale: Accidentale esse non potest; quia de ratione differentiæ est constituere, & distinguere, quod nullo modo accidenti competere potest. Vel substantiale; & hoc non; quia tota quidditas & substantia sola natura circumscribitur; vt patet; quia natura *Petri* verbi gratia est totum esse Petri; ergo vltima differentia contrahens est differentia specifica, in qua est status; & hac ratione, vt dixi, vltima actualitas. Neque tamen per hoc afferere volumus, naturam specificam posse existere extra suppositum; sed asserimus, solam naturam actu existentem importare totā quidditatem, ac propterea nunquam esse

esse speciem sine indiuiduo, vt ait Sanctus Bonauentura in secundo dist. 18. ar. 1. quæst. 3. ad 2. Species enim non potest sic abstrahi ab indiuiduis, sicut possunt Genera à speciebus; etsi potest considerari natura specifica, non consideratis indiuiduis.

D. Bon.

3 Ex quibus omnibus colligitur, quanam ratione species, seu natura specifica dicatur tota quidditas indiuidui; quia scilicet indiuiduum hominis, verbi gratia, habet totum esse hominis per naturam humanam specificam, quæ, licèt non possit existere actu nisi in supposito, non tamen contrahitur per aliquam differentiam substantialem; cùm species non se habeat ad indiuiduum sicut perfectibile ad perficiens; nec indiuiduum ad speciem sicut completiuum ad completibile. Quocirca species non immeritò appellatur forma totius, cùm sit tota essentia complectens Genus, & Differentiam; quod ita proprium est Speciei, vt nulli alij Vniuersali à Specie conueniat. Etenim neque Differentia, neque Genus est tota quidditas rei, quia species addit super Genus aliquid essentialiter; indiuiduum verò nihil addit essentiale supra Speciem: Vnde species specialissima respicit id, quod est perfectissimum in re, & nobilissimum; & includit quidquid pefectionis essentialis est in indiuiduo: atque adeò prædicatione adæquata, & totali de indiuiduis prædicatur.

4 His duabus speciebus adiungere possumus tertiam, eamque supremam appellare; quia immediatè subest summo Generi, quod non potest esse Species, cùm non habeat superius, cui subsit: Sicque in tota latitudine triplex constituitur Species, Suprema, Media, & Infima. Mediam autem voco omnes illas, quæ sunt supra Infimam, & infra supremam; quæ omnia supposita linea indicabit.

Ge-

| | | |
|---|---|---|
| Genus | SVBSTANTIA | Supremum |
| Species | CORPVS | Suprema |
| Differentia | CORPOREVM | Suprema |
| Species | VIVENS | Media |
| Differentia | VEGETABILE | Media |
| Species | ANIMAL | Media |
| Differentia | SENSIBILE | Media |
| Species | HOMO | Infima |
| Differentia | RATIONALE | Infima |

## Dissoluitur dubitatio circa Genus, & Speciem.

### Cap. V.

NOn modica hic nobis se se offert dubitatio circa Genus, & Speciem, vtrùm scilicet possit genus in vnica Specie, Species verò in vnico Indiuiduo conseruari? Cui dubitationi aliqui ex Recentioribus occurrentes, aliter sentiendum esse de Genere, ac de Specie hac ratione sibi persuadent; quia aliter se habent Species ad Genera, quàm Indiuidua ad Speciem: quippe cùm Species sit tota quidditas indiuidui, & in se natura perfecta, non perficitur essentialiter ab indiuiduis: Quo fit, vt tota perfectè existat in vnico indiuiduo, & in eo secundùm omnimodam suam perfectionem conseruetur; Ita videtur sentire S. Bonauent. in 4. dist. 4. dub. 1 sup. lit. At Genus, cùm sit natura imperfecta, & incompleta, respiciatque ex æquo diuersas differentias, per quas contrahitur, & vndequaque completur, non potest in vnica Specie totum reperiri, nec in ea perfectè saluari. Cui opinioni suffragantur tum ea, quæ capite præcedenti commemorauimus; quando diximus, Speciem infimam non esse contrahibilem per aliam differentiam, D. Bon.

tiam,

tiam, cùm ipsa sit tota natura, & quidditas indiuidui, ad quorum multiplicationem non perficitur; quin èò perfectior est, quò appropinquat vnitati: tum ea, quæ scripsit Aristoteles, quando dixit, in Genere latere æquiuocationes, non autem in Specie, & alibi, quando Genus assimilauit materiæ, cuius potentia plures formas specie distinctas respiciens, per vnam non potest adæquatè compleri: ergo à proportione, cùm Genus plures respiciat differentias specie distinctas, vt Animal, rationale & irrationale, necessariò sequitur, per plures differentias, easque specie distinctas, non per vnicam perfici posse, & compleri.

2 Hæc doctrina vera est, maximaque animaduersione digna; non videtur tamen omnino satisfacere dubitationi: Quandoquidem aliud est quærere, an natura generis in vnica specie, & natura speciei in vno possit indiuiduo conseruari; & aliud est quærere, an Vniuersale, siue sit Genus, siue Species in vnico possit sibi inferiori saluari. Quocirca aduertendum est, quandoque sumi Genus, & Speciem pro ipsa natura etiam indiuiduata, seu natura communi essentialiter; quo sensu scripsit Moyses, (Moyses.) præcepisse Deum creaturis, vt producerent omnia secundum species, & Genus suum; quod nihil aliud significat, quàm quòd animal generet animal, & homo hominem producat. Quæ doctrina non latuit Aristotelem, vt ex verbis ipsius liquidò patet, dum ait, Generare esse sibi simile in specie, idest, in natura producere. Si ergo quæstio sit de Specie, & Genere primo modo; existimo, non solùm Speciem, sed etiam Genus posse in vnico suo inferiori perfectè seruari. Et ad hunc sensum redigenda puto verba S. Bonauent. superiùs allati. Sic etiam intelligenda sunt alia eiusdem (D. Bon.) Sancti Doctoris verba; cùm scilicet ait in 4. dist. 16. dubit. prima sup. lit. totam naturam totius Vniuersalis saluari in qualbet parte subiectiua; vt tota ratio animalis in homine.

3 Nec officiunt ea, quæ de Generis imperfectione iam iam obiciebantur; quia absque vllo dubio, sicut tota natura speciei est in vno indiuiduo, ita tota natura Generis est in vnica specie; nec minus, aut imperfectius est animal solus homo, quàm sit leo, & homo simul. Ratio huius est, quia essentia animalis consistit in sensibilitate, per quam animal constituitur in esse animalis. Differentiæ verò, per quas contrahibile est Genus, non ipsum Genus perficiunt, cùm Genus vt sic sit prius natura differentiis; sed potiùs ipsum

ipsum genus coarctant ad hanc magis, quàm ad illam speciem: nec differentia perficit genus, vt genus est, cùm immo suam à se ipso, & propria entitate perfectionem habeat; sicut materia in ratione materiæ non perficitur à forma, vtraque autem perficiuntur in ordine ad totum, cuius partes sunt. Si verò Genus, & Species sumantur, prout hic considerantur à Dialectico, & definiuntur à Porphyrio, nec Genus in vnica specie, nec species in vnico potest indiuiduo saluari: adeò vt, si foret impossibile quacunque potentia plurificare species, aut indiuidua, nullum daretur Vniuersale aut Generis, aut Speciei; quia Vniuersale sequitur actum intellectus considerantis ipsum, vt aptum est pluribus communicari, & de pluribus prædicari.

4 Patet ergo quomodo verum sit, Genus, & Speciem seruari in vnico indiuiduo. Patet etiam, qua ratione non possint seruari, quatenus scilicet Vniuersalia sunt, & ex se apta pluribus communicari. Verumtamen est, Genus in vnica Specie non totaliter, & omni, qua potest, ratione communicari; cùm distinctis speciebus ex se aptum sit communicari; sicut & materia sub vnica forma licèt sit perfectè actuata, non est totaliter, & omni sibi modo possibili actuata; quia etiam per alias formas speciè differentes actuari posset, si ab ea, cui est subiecta, virtute agêtis separaretur; quod non est de specie. Nã si respicit plura indiuidua, hoc est per accidens, non per se: sicut tamen tota ratio materiæ salua reperitur sub vnica forma, ita tota ratio generis sub vnica differentia; & quod dixit Philosophus, in genere latere æquiuocationes, intelligendum est de genere non absolutè, vt genus est, verùm potiùs, vt dicit ordinem ad differentias oppositas, & æquiuocas; ideo non asseruit genus esse æquiuocum, sed latere in eo æquiuocationes, quod non euenit in specie respectu indiuiduorum, quia indiuidua non sunt æquiuoca.

## De Differentia.

## Cap. VI.

Differentiam vocamus eam, per quam vna res ab alia differt: cùm autem tripliciter vnum ab alio differre contingat, triplex constituitur genus differentiæ. Prima est, in qua discrepant aliqua per aliquod accidẽs separabile; vt homo fidelis ab infideli per fidem. Secunda est, per quam differunt aliqua per aliquod accidens inseparabile, vt Coruus per nigredinem à Cigno; nisi tamen velimus dicere,

&

& meliùs, hanc secundam differentiam sumi penes accidens proprium; vt risibilitas, per quam differt Homo à Leone, & alijs. Vltima est differentia essentialis, per quam essentialiter vnum ab alio discrepat; vt homo per rationalitatem ab omni eo, quod homo non est. Hinc non ineptè libet primam differentiam appellare communem, propriam secundam, tertiam verò proprijssimam; cùm hæc tantummodo veram Differentię rationem complectatur, constituatque tertium Vniuersale ab alijs quatuor distinctum. Quocirca in progressu sermonis de hac potissimùm tractabimus, per quam propriè res est vna in se, & ab alia differt: quandoquidem sola differentia substantialis facit aliud, reliquæ verò alterum: proindeque sequitur, eundem hominem posse esse alterum à se ipso, quando scilicet recipit nouas differentias accidentales; numquam tamen posse esse aliud, aut alium à se, quia non potest suam amittere, & aliam recipere essentiam.

2 Proprijssima igitur Differentia duplex constitui potest, Generica scilicet, & Specifica (tertiam enim, quam aliqui addunt, nempe numericam, vt ex supradictis liquidò patet, inter veras differentias collocare non licet) Genericam eam esse definimus, per quam vnum Genus constituitur, & distinguitur ab omni alio Genere; vt Vegetabile; per hanc quippe Differentiam, Viuens distinguitur ab omni eo, quod est expers vitæ. Specificam verò eam esse asserimus, per quam vna species ab alijs differt; vt Rationale, per quam homo differt ab omnibus ijs, quæ ratione carent.

3 Et aduertendum, has Differentias considerandas esse vt abstractas, & communicabiles: Nam cum actu sunt communicatæ seu speciebus, seu indiuiduis, iam non genericæ, aut specificæ nuncupari possunt; quia vt sic nec sunt vniuersales, nec pluribus communicabiles, nec denique aptæ de pluribus prædicari.

## De muneribus Differentiæ.

## Cap. VII.

Triplex possumus Differentiæ munus assignare. Primum est contrahere, Medium constituere, Postremum distinguere: Quæ tria munera cùm vnica exequatur Differentia, quodlibet ipsorum est de quidditate ipsius; sicque ordinatè se habent, vt anterioritate naturę primum sit contrahere; deinde contrahendo constituere; ac denique constituendo distinguere. Vnde iam versum est in adagium,

gium, primum constitutiuum, & esse etiam primum distinctiuum.

2 Vt autem modus, quo Differentiæ sua munera in natura exequuntur, faciliùs percipiatur, obseruandum est ex S. Bon. in 2. dist. 18. ar. 1. quæst. 3. in omni creatura perfecta, in qua vera est compositio, multiplicem esse Differentiam, quarum vna est ad alteram ordinata, sicut multiplex est Genus. Nam sicut dicit Philosophus, Homo priùs est planta, deinde animal, ac denique homo: in homine enim (si maximè consideretur per abstractionem intellectus; in qua consideratione præsertim versatur hic noster Tractatus, qui est de Vniuersalibus) prius concipitur Corpus, deinde Corpus contrahitur ad Viuens per differentiam Vegetabilem: rursus Viuens contrahitur ad Animal per Differentiam Sensibilẽ; Animal verò ad Hominẽ per Rationalem; quę cum sit vltima, constituit, & distinguit hominẽ ab õibus ijs, quæ nõ sunt homines; & sic in homine reperiũtur tres istæ Differẽtię Vegetabile, Sẽsibile, Rationale distinctę saltẽ formaliter, licèt vnica sit forma, scilicet Anima Rationalis: Nulla quippe ratione percipi põt; quomodo per vnicam differentiam specificam homo vnum, & idem esse habeat cum plantis, & animalibus, ac per eandem ab ijs ipsis differat.

S. Bon.

Arist.

## Enodantur Definitiones Differentiæ traditæ à Porphyrio.

### Cap. VIII.

Porph.

TRigenã nobis tradidit Porphyrius essentiales Differentiæ definitionem, quarum singulas breuiter proponam, & enucleatè aperiam. Est autem prima definitio, *Differentia est, qua abundat Species à Genere*. Idest Differentia est illa, per quã aliquid habet species, quod non habet Genus: siquidem Differentia addit aliquid supra Genus, verbi gratia, Rationale, quę est differentia hominis, facit, vt homo habeat aliquid, quo caret animal: Nam animal, vt Genus est, præscindit ab esse rationali, & irrationali.

2 Solet hic quæri, an hæc definitio conueniat Differentiæ Genericæ, & Specificæ.

Respondetur iuxta proposita Porphyrij verba, solam Differentiam Specificam sub hac definitione comprehendi. Verumtamen etiam est, cuicunque Differentiæ posse non incongruè adaptari; quia quælibet Differentia, siue Generica sit, siue specifica, addit supra id, cuius est Differentia; ita Vegetabile addit aliquid supra corpus, & sensibile supra viuens, licèt

licet vtraque sit Differentia generica.

3 Secunda definitio, *Differentia diuidit ea, quæ sub eodem Genere posita sunt*: Idest, Differentia distinguit inter se species, quæ sub vno Genere continentur; vt Rationale distinguit hominem à leone, & alijs animalibus; hoc facit Differẽtia contrahendo Genus ad aliquam determinatam Speciem, in qua constitur. Sed enim hæc duplex Definitio non explicat naturam Differentiæ, vt est Vniuersale; ideo adiungitur.

4 Tertia, quę est huiusmodi, *Differentia est, quæ de pluribus siue solo numero, siue specie differentibus in eo quod quale est prædicari potest*; Cuius definitionis explicatio colligenda est ex declaratione definitionũ Generis, & Speciei superiùs propositarum, quibus cũ in omnibus conuenit, pręterquam in vno, sci licet quòd non in quid simpliciter, sed in qualequid prędicari dicitur; quia ad modum accidentis se habet, vt docet cum alijs S. Bon. in 2. dist. 3. par. 1. ar. 2. quæst. 2. D. Bon.

5 Dubitabis, an vnica Differentia distinguat plura ad inuicem? Ratio dubitandi est, quia in definitione dicitur, differentiã diuidere ea, &c.

Respondetur, dupliciter Differentiam diuidere posse, positiuè, & negatiuè. Positiuè facit differre solùm id, cuius est: negatiuè verò etiam alia. Vel meliùs; Differentiam diuidere vnum per se, per accidens verò; & quasi consequenter etiam alia; quia eo ipso quòd constituit rem vnam in se, consequenter ab alijs omnibus distinguit: atque sic etiam intelligendam puto illam Porphyrij in hac eadẽ definitione particulam, *quæ sub eodem Genere posita sunt*; quia differentia per se distinguit ea, quæ sunt vnius generis, consequenter verò etiam alia.

## De Proprio.

## Cap. IX.

QVamuis superiùs in enumerandis quinque Vniuersalibus Accidẽs Proprio prætulerimus, tanquam quid vniuersalius, & prius, à quo non valet inferendi consequentia; hic tamen præponimus Proprium Accidenti tanquam id, quod immediatè, & intrinsecè consequitur ad Differentiam.

Porrò S. Bon. multis in locis, pręcipuè verò in Primo, occasione accepta à Notionibus, & proprietatibus Diuinis, multa de Proprio luculẽter edidit, e qbus laconicè desumpsimus ea, quæ hic breuiter proponere, & ptra- D. Bon.

ctare decernimus. Primò autem Proprium illud asserimus, quod commune non est; quod.n. commune est, sub illa ratione proprium esse non potest. Quocirca ad naturam Proprij, quod hic inquirimus, percipiendam, aduertimus cum D. Bonauent. 2. sentent. dist. 3 par. 1 artic. 2. quæst. 2. Proprium posse bifariam sumi. Primò pro Proprio indiuidui; dico autem Proprium indiuidui ipsas indiuidua-les proprietates, & cõditiones, quarum ratione indiuiduum est alteri incommunicabile; quo pacto indiuiduũ differt à Genere, & Specie; quia illud singulare est & incommunicabile; hæc verò Vniuersalia sunt, & pluribus cõmunicabilia; & hoc Proprium nulla ratione potest quartũ Prædicabile cõstituere. Secundò pro quadam qualitate accidentali ab intrinsecis rei principijs manante. D.Bon.

2 Rursus Proprium ex eodem D.Bon. 2. sent. dist. 16. ar. 1. quæst. 3. aliud est absolutum, aliud est respectiuum. Proprium absolutum, & simpliciter cõuenit omni, & soli, & semper; vt ridere homini. Propriũ verò respectiuum conuenit alicui respectu aliquorum tantùm; minimè verò respectu aliorum. Vt hominis proprium est intelligere, respectu animalium, non autem respectu Angelorum. S.Bon.

3 Ex his, & aliis, quæ alibi leguntur apud D. Bonauentur. potest quadripartita fieri Proprij acceptio, sicut quadripartitam constituit hic Porphyrius: Porphyr. Vt Primò illud dicatur Proprium, quod conuenit soli alicui Speciei, vel Generi, non tamen conuenit cuilibet Speciei illius Generis, vel singulis indiuiduis illius Speciei; vt esse Religiosum, & virtute præditum, conuenit soli homini, non tamen cuilibet; cùm maior pars hominum (proh dolor res quidem lacrymanda) vitijs potiùs se dedant, quàm virtutibus, & Religioni incumbant. Secundò dicitur Proprium, quod conuenit omni, sed non soli; vt habere imaginem Dei, competit omni homini, sed non soli, quia etiam Angelis. Tertiò dicitur Proprium, quod omni, & soli competit, sed non semper; vt actu ridere; nam homo non semper ridet. Quartò dicitur Proprium, quod competit omni, & soli, & semper; vt homini esse risibilem; quia semper homo est risibilis. S.Bonauent. in 1. dist. 8. quæst. 1. ad vltim. D.Bon.

4 Aduerte autem duo requiri ad hoc Proprium constituendum. Alterum, vt egrediatur à principiis intrinsecis, & egrediendo in aliud transeat; namq; principia sunt ea, e quibus emanant proprietates, quæ ab ipsis diffe-

differunt. Alterum, vt æquè singulis quibusque indiuiduis conueniat, vel speciebus. Quocirca Proprium est saltem natura posterius subiecto; sicut posterius est, id, quod, & à quo. Proprium igitur quarto modo sumptum potest sic cōgruè definiri. *Proprium est, quod de pluribus in quale, & accidentaliter, necessariò tamē prædicari potest.* Dixi, *necessariò*, ad distinctionem accidentis, quod prædicatur in quale, non tamen necessariò, sed cōtingenter. Dixi, *in quale, & accidentaliter*, ad distinctionem Differentiæ, quæ prædicatur in quale substantialiter.

## Dissoluitur quædam Dubitatio de Proprio.

## Cap. X.

QVærunt hic communiter Dialectici, num Propriū sit de essentia rei, cuius est Proprium; sitque ab ea aliqua potentia separabile?

Cui dubitationi vt satisfaciamus, obseruandum est ex *D.* Bonauent. in 1. dist. 3. par. 2. ar. 1. quæst. 3. ad 2. quantum sufficit in præsentia, tripliciter aliquid dici essentiale. Primò, quod intrinsecè constituit rē in esse; vt corpus, & anima, quæ constituūt hominem. *S*ecundò, quod fluit immediatè ab intrinsecis rei principijs, & sine quo non potest intelligi rem habere suum esse perfectum. Tertiò, id, sine quo non potest intelligi rem habere suum esse; vt esse vnum, &c. Neque enim potest percipi, quomodo res sit, & non sit vna. Hac supposita veritate.

D.Bon.

2 Respondetur Primò, Proprium non esse essentiale quid rei constitutiuum: Enimverò sola principia intrinseca sunt de rei quidditate. Proprium verò non est aliquod principium intrinsecum rei constitutiuum.

Respondetur ergo Secundò, Proprium esse essentiale secundo modo; quatenus scilicet immediatè fluit à sui subiecti essentia: quo sensu passim cum Philosophi, tum Theologi proprietates, ac passiones rei essentiam vocant, præcipuè (quod non rarò contingit) cum ipsa rei quidditas occulta est, & abstrusa. Tertio autem modo non est essentiale; quia bene intelligitur rem esse absque proprietate.

3 Quò verò ad secundam partem propositæ dubitationis, an scilicet propriū possit aliqua potentia à suo subiecto seiungi; magna est inter Dialecticos dissensio. Quidam enim existimant, Proprium nulla potentia esse à subiecto separabile; quia licèt Proprium non sit de quidditatiua constitutione sui subie-

cti ab essentialib. tñ principijs ꝓfluit,& necessariò illa indissolubiliter comitaẽ:qnimo cũ ipsa essẽtia realiter idẽtificatur, si pro fundamento capiatur.

4 Vt aũt huius sẽtentiæ sẽsus aperiaẽ, simul ac aditus ad veritatẽ ꝑcipiendã recludaẽ,scire cõuenit, ꝓpriũ sub gemina cadere vsurpatione;vt ex S.Bõ.alijsq.cõiter colligere licet. Nã interdũ nominat actũ sm̃, puta ridere; interdũ actũ pm̃,seu formã;vt aptitudinẽ ad ridendũ. Porrò aptitudo illa adhuc bifariã ab aliquib.distinguiẽ:vt aliqñ ꝓ facilitate capiaẽ; vt facilitas ad ridendũ: aliqñ verò ꝓ aptitudine,sm̃ quã aliquid absolutè posse cẽseẽ;&hãc crederẽ nõnisi quoad maiorẽ,vel minorẽ ꝑfectiõẽ ab aptitudine,ꝓut dicit facilitatẽ,esse distinctã.Rursũ aptitudo dupliciter pôt cõsiderari,vel formaliter, vel fũdamentaliter:fũdamẽtaliter est ipsũ subiectũ ex natura sua aptũ natũ. v.g ridere formaliter est ipsamet aptitudo in ordine ad actũ,&ad subiectũ,seu sm̃:ad subiectũ,q̃a ꝓximè disponit:ad actũ,q̃a oĩs aptitudo,& potẽtia est ꝓp actũ.Ex hac doctrina colligunt duplex,siue triplex genus ꝓprii:vt aliud dicaẽ ꝓpriũ largè, aliud strictè,aliud strictissimè.Largè denominat actũ:strictè denominat aptitudinẽ formaliter:strictissimè fũdamentũ ꝓximũ cũ ipsa aptitudine immediatè fluẽte à fũdamẽto,atq. cũ ipso re ipsa idẽtificata. 1.mõ dicũt distingui de facto;2.mõ, & 3. nulla rõe,ẽt absoluta Dei potẽtia

5 Alii verò,& lõgè melius,reor, dicunt,nõ repugnare ꝓpriũ à subiecto seiungi;cũ sit posterius ipso subiecto,& oĩno inter accidentia cõnumereẽ.Cẽterũ q̃tũ ad rei veritatẽ attinet,arbitror, ipsũ ex ꝑfecta,ac vera ꝓprii vsurpaõe pẽdere

6 Admittamus itaq;tanquã verã doct.à priorib.primę sẽtẽtię. Dial. exaratã quã tradit Scot.relat.&accept.ab Vtin.vbi ẽt varios D.Th. necnõ & S.Bon.locos adducit, vt hos DD.verbis,& sensu in hac sẽtẽtia cohærere ostendat. Cęterum quoad D.Bon. illud obseruãdũ,eo loco nõ de passione,ac ꝓprietate, sed de naturali potẽtia sermonem hẽre: Nec puto eãdẽ esse rõnem de ꝓprio, ac naturali potẽtia: ad vberiorẽ tñ declarationẽ nunquã dẽt à memoria aboleri, ꝓpriũ,de quo hic Porph. & q̃ Prædicabile quartũ cõstituit,vni,soli,& sẽper cõuenire.Quare potentiã generã di,q̃ cõis est plurib.specie diuersis ad ꝓprii clãssẽ redigi nõ posse opinor,si ꝓpriũ ꝓpriè vsurpeẽ.Dein de ꝓpriũ ad albũ accidentiũ ptinere,ac inter accidẽtia cõnumerari tũ à Porph.tũ ab aliis adeò cõpertũ puto,vt indignũ sit,q̃ in cõtrouersiã voceẽ;q̃ppè cũ nimis clara,& vsu recepta sit diuisio illa accidẽtis in cõe,& ꝓpriũ.His addo ꝓpriũ q̃dem à principiis essẽtię dimanare; ita tñ vt in aliud trãseat. Vñ ꝓpriũ cũ subiecto idẽ re nulla ten'esse pôt.Quòd verò ab aliquibus asserit, ꝓprium nõ ex principiis indiuidui, sed speciei originari;nisi ad bonã frugẽ trahaẽ oĩno à veritate aberrere ex eo dignoscitur, q̃ vel principia speciei si sumanẽ in actu,eadẽ sũt cũ ꝑcipiis indiuidui:vel si abstractè capiantur

S.Bon.

Scotus
Vtin. Tract. 3.q.12. a.2.de Deo V-no & Trino.
S.Bon. 1.sent. d.3.p. 2.a.1. q.3,

tur, cùm in re nihil sint, nihil ab eis potest proficisci.

7 Cùm ergo vera ratio proprij in naturam trāseat acciden tis, & nullum accidens tantam dicat ad subiectum ordinationem, vt sine eo cogitari non possit; certò statuendum est, proprium Diuina posse à subiecto potestate seiungi; cùm, vt optimè obseruat multoties S. Bonau. plus possit Deus prӕstare, quàm humana mens rationabiliter cogitare: Non nego tamen, Proprium, si pro fundamento capiatur, cùm idem sit realiter cum subiecto, esse ab ipso inseparabile. Cӕterū si eo modo vsurpatur, vtique Proprij rationem sibi minimè vendicat, quãdiu idem cum substantia astruitur. Et de his hactenus.

S. Bon.

## De Acidenti.

## Cap. XI.

Copiosam, ac valde vtilem de Accidētibus doctrinā pluri mis suorū scriptorum locis tradidit Seraph. Bonau. prӕsertim verò 4. sent. d. 12. ar. 1. per tres quӕstiones, à quo exhaurire, & hic ordinatè digerere pro virili nostra conati sumus ea, quӕ in prӕsentiarū de Accidentibus obueniunt tractanda. Atenim vt aliquo ordine procedamus, Primò varias huius vocis, ac nominis vsurpationes proponemus. Deinde Accidentis definitiones traditas à Porphyrio examinandas adducemus. Tandem Accidentis proprietates afferemus.

D. Bon.

Porphi.

Et ad primum quod attinet, Accidens quadrupliciter accipi potest. Primò, vt opponitur per se; quo sensu animali, & homini accidit esse album. Secundò, prout opponitur necessariò; in qua significatione non incongruè admittūt Theologi aliquid Deo accidere, vt quòd sit Creator, &c. Tertiò, prout opponitur essentiӕ, vt id sit accidens alij, quod non est de eius essentia, quo pacto etiam substantiӕ possunt esse accidens, vt manus homini est accidens. Quartò, prout opponitur substantiӕ, & sic accidens est proprietas alij tanquam subiecto inherens.

2 Quò ad secundum, definitur Primò, *Accidens esse id, quod adest, & abest prӕter subiecti corruptionem*: Idest, Accidēs cùm sit quid extinsecū subiecto potest, & adesse, & abesse sine eiusdem subiecti corruptione. Quӕ definitio propter graues emergētes inde difficultates, multū ipsorum hominū sublimium ingenia torsit; cùm pateat ad sensum multa accidentia non posse abesse à subiecto, quin subiectum destruatur; quin, vt omnis Philosophia testatur, quӕlibet subiecti corruptio inducitur

ex absentia accidentium. Primò nanque interuenit actio corruptiua inter accidentia, quorum altero paulatim à suo contrario destructo, ipsum subiectum in instanti corrumpi necesse est.

3 Ad hæc respondent aliqui, definitionem intelligendam esse logicè, non autem physicè; vt idem sit dicere: accidens potest abesse, & adesse, ac, accidēs est prædicatum, quod siue affirmetur, siue negetur de subiecto, ipsum subiectum non destruetur. Quæ doctrina est quidem vera, non tamen, vt patet ex verbis Porphyrii, admodū cōformis, & arridens ipsi definitioni.

Propterea respondent alii, definitionem vel intelligendam esse secundò intentionaliter, vt scilicet possit intellectus concipere subiectum, non conceptis eius accidentibus: Vel logicè, vt scilicet possit adesse, & abesse, quia non repugnat naturæ subiecti tali carere accidenti. Verùm non plenè hæc satisfaciunt dubitationi. Primò quidem, quia Porphyrius loquitur de vera, & reali absentia, siue præsentia. Deinde, quia quantitas est accidens tradita definitione comprehensum; neque tamen potest corpus physicum aut sine quantitate concipi, aut quantitas ab eo corpore separari, quin ipsum corrumpatur.

Porphy.

4 Respondetur ergo, definitionem intelligendam esse formaliter non inductiuè, aut dispositiuè; non enim corrumpitur subiectum formaliter propter absentiam, vel præsentiam accidentis, sed propter absentiam, vel præsentiam formæ substantialis, cuius præsentia sicut constituit rem in esse formaliter, ita eius absentia formaliter corrumpit. Quòd si quantitas constituat in esse formale corpus physicum, non id se sola præstat, sed materiæ, & formæ supposita; vt latiùs in Physicis, vel Metaphysicis demonstrabimus.

Secunda definitio. *Accidens est, quod contingit eidem inesse, & non inesse.* Quæ definitio congruit Accidenti, prout opponitur necessariò, sic, Accidens est *Deo* esse Creatorem, quia non necessariò Deus est Creator.

5 Tertia definitio. *Accidens est, quod neque est Genus, neque Species, neque Differentia, neque Proprium, semper autem est in subiecto existens*: In qua definitione comprehenditur accidens commune, prout opponitur substantiæ, quæ nulli tanquam subiecto inhæret, sed sicut actus actuans; & essentialiter perficiens.

Quæri hic solet, an sit essentiale Accidenti alteri inhærere? Cui dubitationi non parum difficultatis adiungit quotidiana accidentium in Sacrosancto Eucharistiæ Sacramento

mento sine subiecto existentia.

S.Bon. Respondetur ex Diuo Bonauentura 4. sententiarum, distinctione 12. quæstione 1. & communiter ex omnibus, id esse essentiale accidenti, sumendo inhærentiam aptitudinaliter, non actualiter. Itaque accidens etiam extra subiectum dicit semper essentialem habitudinem ad subiectum: idque mihi persuadeo Primò; quia oppositorum eadem est ratio. Ergo sicut essentiale est substantiæ per se existere, non alteri inhærere; ita ab opposito essentiale est accidenti non per se existere, sed alteri inhærere; in hoc quippè opponuntur directè Accidens, & Substantia. Secundò; quia si nulla esset possibilis Substantia, nullum esset possibile accidens; non tamen è contrà: ergo Accidens dicit essentialem dependentiam, & ordinationem ad substantiam.

6 Quarta definitio. *Accidens est, quod de pluribus in quale contingenter prædicari aptum est.* Quæ definitio satis remanet explicata ex ijs, quæ superiùs in similibus aliorum Vniuersalium definitionibus dicta conclusimus.

Circa tertiam definitionem oritur magna dubitatio; quippè cùm accidentia de pluribus specie, ac numero differentibus prædicentur in quid; vt color de albedine, nigredine; albedo autem de hac, & de illa albedine, irrationabiliter videtur Porphyrius dixisse, *Accidens nec esse Genus, nec Speciem.*

Respondetur ex Diuo Bonauentura 4. sententiarum distinctione 12. articulo 1. quæstione 1. Accidens bifariàm posse considerari. Primò in communi, vt accidens est, cuius quidditas cùm sit alteri inhærere, contingit ei esse Genus, aut Speciem. Secundò in particulari, & secundùm speciales differentias, nempè, vt color, vt albedo, &c. & ita Genus, aut Species, &c. D.Bon.

Secundò respondetur, & est ferè idem, Accidens posse comparari vel ad subiectum in quo, verbi gratia albedo ad parietem; & sic nec Genus est, nec Species: Vel ad superius, ad quod, vt albedo ad colorem, & color ad qualitatem; & ita Species est, & Genus; quia de pluribus predicari potest.

7 Quò ad tertium; quatuor proprietates Accidentis colliguntur ex Diuo Bonauentura tres in 1. sententiarum distinctione 8. dub. lit. 8. quarta verò ex distinctione 25. articulo 1. quæstione 2. eiusdem libri. Prima proprietas: Accidens di- S. Bon.

cit aptitudinalem inhærentiam in alio; atque id quidem non modò est proprium, verum etiam essentiale Accidenti. Secunda: Accidens exit ab alio. Tertia: Accidens recedit ab alio; enimuerò Accidens inest subiecto, oritur à subiecto, & transit in aliud à subiecto: Intellige in aliud essentialiter, non subiectiuè; quia subiectiuè superstes est in eo subiecto, à quo exit, aut à quo educitur. Prima conditio iam satis est explicata: Secunda verò sic intelligitur, quòd Accidens trahit ortum à subiecto vel per emanationem, vt ea, quæ fluunt à principiis; vt lumen à Sole: Vel per eductionem, vt ea, quæ educuntur de potentia materiæ; sicut calor ab aqua: Vel per consecutionem, vt ea, quæ ad rem productam consequuntur; vt ordo, status, & alia huiusmodi. His additur quarta conditio desumpta ab Aristotele, & est, Accidens definiri per additamentum; quod quomodo fiat, supra cum de definitione ageretur, declaratum est.

Arist.

8 Porrò duplex solet constitui Accidens. Aliud separabile, inseparabile aliud. Separabile hic vocamus illud, quod realiter à subiecto remoueri potest, vel totaliter, vel saltem quò ad aliquos gradus: Huiusmodi autem sunt præcipuè primæ qualitates; inter quas cùm interueniat actio, & passio, realiter ab agente naturali inducuntur in subiecto, & ab eo expelluntur. Inseparabile verò hic appellamus illud, quod semper cum subiecto comitatur, nec potest realiter per aliquam virtutem naturalem à subiecto seiungi.

Dicitur autem Accidens separari, non quia separatum realiter actu extare contingat, sicut separatur, verbi gratia, manus à corpore; sed pro eo dicitur separari, quia expellitur per corruptionem: Primò enim modo separatum existere naturaliter impossibile est.

9 Sed enim oritur dubium aduersùs primam proprietatē. Accidens est quid absolutum, ergo non dicit essentialem ordinem ad subiectum. Hanc obiectionem desumpsi ex Scoto, quem refert Vtinensis tract. 3. quæst. 12. art. 1. de Deo Trino, & Vno; cuique ipsemet occurrit, dicens, Accidens esse quid absolutum, ac proinde nullo modo importare actualem, aut aptitudinalem inhęrentiam ad subiectum: nam illa aptitudinalis inhærentia est quędam relatio; implicat autem aliquid simul esse absolutum, & relatiuum. Ea propter nosse decet, iuxta Scoti, & Asseclarum eius doctrinam, duo in accidenti

Scotus Vtinen.

posse

posse attendi, id scilicet quod per se primò significat, & quod per se denominat, verbi gratia, in calore, quod per se primò significatur, est esse accidens; & hoc dicit essentialem aptitudinem, & relationem ad subiectum: Quod per se primò denominatur, est esse tale accidens, verbi gratia, esse calorẽ; & hoc est absolutum. Hæc Scotus nimis obscurè, quæ S. Bonauent. & alij clariùs sic. In Accidenti duo occurrunt, & id, quod commune est, vt accidens est: & id, quod peculiare est, vt tale accidens est: Primum est relatiuum: secundum verò, licèt sit absolutum, habet tamen annexam relationem ex imperfectione; quia non ad se, sed ad aliud dicitur; vnde entia entis magis, quàm entia reputantur.

LIBER

# LIBER QVARTVS DE PRÆDICAMENTIS.

## Ordo Libri Quarti.

HIC LIBER QVARTVS CONTINEBIT TRES TRACTATVS.

*Primus erit de Antepradicamentis.*
*Secundus de Pradicamentis.*
*Tertius de Postpradicamentis.*

TRACTA-

# TRACTATVS PRIMVS DE ANTEPRAEDICAMENTIS.

*IN HOC TRACTATV VIDEBIMVS.*

1. *Quid sit Antepradicamentum?*
2. *Duas regulas Aristotelis de Antepradicamentis explicabimus.*

## Quid sit Antepraedicamentum? Cap. I.

NOn immoror in præsentia in inquirendo subiecto, vtilitate, necessitate, & connexione huius libri cum aliis; quippè quia hæc omnia iam supponuntur. Nam subiectum vltimatum horum librorum non aliud erit, quàm discursus, ad quem tota Logica ordinatur. Vtilitas verò, ac necessitas inde nobis facilè declarabitur; quòd in hoc libro continetur omnia, quæ D. O. M. sua infinita potentia de nihilo compegit. Connexio denique ea est, vt omnia ad discursum ordinentur, sicut & cætera, quæ in aliis Dialecticæ libris traduntur. Inscribitur autem liber iste de decem primis Generibus, seu Prædicamentis, quia in vnoquoq; reperitur quædam coordinatio generum, specierum, & indiuiduorũ, quę coordinatio Prędicamentũ, & Cathegoria appellatur. Iam verò hæc Prædicamenta decem communiter à Doctoribus numerantur

Substantia.
Quantitas.
Relatio.
Qualitas.
Actio.
Passio.
Vbi.
Quando.
Situs, &
Habitus.

De

De quibus singillatim suo loco pertractabimus.

2 Vt ergo ab Antepraedicamentis, vnde prima huius libri disputatio incipit, sumamus exordium: Antepraedicamenta, sicut ex nominis etymologia liquidò patet, sunt quaedam, quę praemittuntur tanquam necessaria ad Praedicamenti naturam percipiendam. De quibus Antepraedicamentis hoc vnum suppererit explicandum, quanam scilicet ratione res sint, & dicantur; id enim maximè consentaneum est huic, quam aggredimur de Praedicamentis, disputationi. Missis ergo ijs, quae hic de vniuocis, & aequiuocis, & analogis tradi consueuere (nam alibi haec declarauimus) immediatè accedimus ad quaerendum modum, quo res in se, & in ordine ad alia sunt, & dicuntur.

3 Ea igitur omnia, quae dicuntur, alia secundùm complexionem, alia sine complexione dicuntur; idest, omnia nomina, & verba aut sunt simplicia, aut composita. Simplicia sunt, quae non componuntur ex partibus per se significatiuis, de quibus in Primo Libro, cum de Nomine, & Verbo sermo haberetur, ex professo disputauimus. Composita verò sunt, quorum partes sunt per se significatiuae; quod vtique bifariàm contingere potest: Aut sine expressione veritatis, & falsitatis; quando scilicet ex vocibus assumptis nihil affirmatur, aut negatur; vt, *homo albus, animal rationale*; in his enim nulla est veritas, aut falsitas: seu cum expressione veritatis, sicut sunt propositiones tam de secundo, quàm de tertio adiacente; vt, *Deus est, Deus est omnipotens*: quae omnia satis manifesta sunt ex his, quae supra diximus, cum de nomine, verbo, & enunciatione disseruimus.

4 Aduertendum est, complexa quoquo modo, vt talia sunt, non pertinere ad Praedicamentum, nisi quatenus ex incomplexis constant: quandoquidem in Praedicamento nihil nisi incomplexum, & simplex reponitur. Dixi ad praedicamentum, non ad Praedicamenta, quia, vt benè notauit S. Bonauent. in 1. d. 8. q. vlt. complexa ratione diuersarum naturarum ad plura Praedicamenta possunt pertinere. D. Bon. Ea igitur, quae existunt ad alterum ex quatuor capitibus reducuntur. Alia enim de aliquo subiecto dicuntur, sed non sunt in subiecto, idest alia sunt, quae de alijs praedicantur essentialiter, & nulli tanquam subiecto inhaerent; & haec omnia sunt Vniuersales substantię, quae praedicantur in quid de suis singularibus, nec illis insunt, sicut accidens inest subiecto. Alia verò sunt, quae non praedicantur essentialiter de subiecto, sunt tamen in subiecto, vt accidentia, quae

quæ subiectiuè inhærent substãtijs, nec tamen intrinsecè, & essentialiter de ipsis prædicantur. Alia tertiò sunt, quæ de subiecto prædicãtur, & subiecto inhærent, vt scientia, quæ tum prædicatur de subiecto, idest de suis inferioribus, vt de Philosophia, Mathematica, & est in subiecto, scilicet in anima.

5 Vbi aduerte, subiectum prima vice sumi pro inferiori, cum dicitur, alia de subiecto prædicãtur: postremò verò, cum dicitur in subiecto sũt, sumi inhæsiuè, vt ex verbis Philosophi liquidò apparet. Arist. Alia denique sunt, quæ neque de subiecto dicuntur, nec in subiecto sunt, vt, omnia indiuidua substantialia; indiuiduum enim, de sui ratione intrinseca nec alij inhæret, nec de alijs prędicatur. Ad alterum igitur istorum caput, quicquid in rerũ natura reperitur, redigatur necessarium est. Nam quicquid est, aut est substantia, aut accidens: Si substãtia, aut vniuersalis, aut particularis; Si vniuersalis, in primo diuisionis capite constituitur; Si particularis, in vltimo collocatur. Si accidens, aut refertur ad subiectũ in quo; & sic ad secundũ membrũ reducitur: aut refertur ad subiectum in quo, & ad subiectũ de quo; & sic in tertio membro reponitur.

## Traduntur duæ Aristotelis Regulæ.

## Cap. II.

DVæ nos regulæ ad prædicta facilius capessenda, & ad hanc primam partem absoluendam manent exponendæ. Prima est, quãdo alterum de altero prędicatur, vt de subiecto, quæcũq; dicũtur de eo, quod prædicatur, etiã de subiecto dicentur; idest, quando aliquid de aliquo prædicatur essentialiter, omnia prædicata, quæ conueniunt illi prædicato, conuenient etiam illi subiecto, de quo illud prædicatũ prędicatur. Clarior res fiet exẽplis. *Petrus est homo*, homo prędicatũ essentialiter de Petro, ergo quicquid prædicabitur de homine essentialiter, prædicabitur & de Petro. Ex qua regula consequũtur istæ illationes; Homo est essẽtialiter animal, & corpus, & viuens, ergo & Petrus. Quæ regula verificatur etiam in accidentibus, quando accidens prædicatur de accidenti, sicut superius de inferiori, vt Humilitas est virtus, virtus est habitus, & qualitas, ergo etiam humilitas.

2 Altera regula est, *Diuersorum generum, & non subalternatim positorum diuersæ sunt specie differentiæ; generum*

rum verò subalternorum nihil prohibet, easdem esse differentias. Vbi aduerte aliud esse, genera esse subalterna; aliud, subalternatim posita. Nam genera subalterna sunt, quæ supra, & infra se habent genus, vt in præcedenti libro, cum de Genere, declarauimus; at Genera subalternatim posita ea sunt, quorum vnum est sub alio. Sensus igitur regulæ hic est: quoties reperiuntur genera, quorum vnum non ponitur sub alio, illorum generum differentiæ necessariò sunt diuersæ, verbi gratia, Animal, & Scientia sunt duo genera, quorum vnum non ponitur sub altero, vt patet; propterea aliæ sunt differentię Animalis, & aliæ sunt differentiæ Scientiæ. Nam differentię Animalis sunt volatile, gressibile, reptile, &c. sumptis differentijs latè; nam strictè differentiæ Animalis sunt rationale, & irrationale. Differentiæ verò Scientiæ sunt, speculatiuum, practicum, &c. Quando verò genera sunt subalterna, non prohibet eorundem generum easdem esse differentias. Dicit, non prohibet, idest, potest esse, non tamen necessarium est, vt Corpus, & Animal sunt genera subalterna, & habent quasdam differentias easdem, alias verò non. Nam Corporis differentiæ sunt, viuens, non viuens: Animalis verò differentia est viuens, non autem non viuens; quia nullum est animal, quod non sit viuens. Et hæc de Anteprædicamentis. Iam ad Prædicamenta, quæ est secunda huius libri pars, accedamus.

TRACTA-

# TRACTATVS SECVNDVS DE PRAEDICAMENTIS.

## IN HOC TRACTATV VIDEBIMVS



### De Substantia.

### Cap. I.

PRimum locum in hoc Secundo Tractatu sibi vendicat Substantia, quippe quæ est omni accidenti prior, nobilior, ac præstantior. Quoniam autem Substantia multifariàm accipi potest, vt satis apertè colligitur ex plurimis Aristot. locis, præsertim verò hic in capite de Substantia, & 5. Metaphys. cap. 8. & lib. 7. summa 2. cap. 1. eapropter distinguendum nobis est primò nomen Substantiæ, & deinde ipsa definienda. *Arist.*

Substantia igitur Primò pro essentia rei vsurpatur; quo sensu Aristot. indicato loco 5. Metaphys. ait, *Quodquid erat esse, cuius ratio, & definitio vniuscuiusque, substantia dicitur.* Idest illud dicitur substantia vniuscuiusque rei, quod est ratio, definitio, & quidditas ipsius rei; qui sensus non latuit etiam Theologos, qui crebrò naturam Diuinam substantiam appellare consueue- *Arist.*

fueuerunt: vt cum dicitur, Filius est de substantia Patris, &, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti vna & eadem natura est, & substantia, idest essentia. Sumitur Secundò pro omni eo, quod natum est per se existere, & non alteri subiectiuè inhærere; in qua significatione comprehenditur quicquid non est accidens, siue sit completum, siue incompletum, siue principium, siue principiatum; & ita 7. Metaph. materia, & forma substantia dicitur. Tertiò sumitur substantia pro eo, quod non est in subiecto, sed dicitur de subiecto; sicque complectitur omnia genera, & species substantiæ. Quartò sumitur pro eo, quod nec est in subiecto, nec dicitur de subiecto; & sic tantùm extenditur ad indiuidua substantiarum: & in his duobus vltimis modis præsertim attenditur Substantia in ordine ad Prædicamentum, quod est series quædam generum, specierum, & indiuiduorum.

2 Rursum Substantia, vt luculenter tradit Seraph. Doctor (D.Bon.) 3. sent. dist. 23. quæst. 5. sumitur quandoque propriè, quandoque metaphoricè. Propriè Substantia est, cui per se competit quidditatiua Substantiæ ratio. Metaphoricè verò dicitur illa, quę aliquo modo imitatur naturam Substantiæ; quo sensu à D. Paulo (S.Paul.) appellatur fides substantia, & aliquando à Sanctis Patribus Humilitas, quatenus scilicet illa est fundamentum totius virtutis, & hæc fundamentum totius spiritualis edificij.

3 Substantia præterea alia est absoluta, alia respectiua; seu, vt terminis vtar Seraphicis S. Bonauent. (S. Bon.) in 1. sent. dist. 22. quæst. vlt. alia dicitur per se, alia ad aliud. Substantia absoluta est illa, quæ non est ordinata ad aliud; vt in creaturis, indiuiduũ, & suppositum, quod cùm sit completum, non potest ex natura sua ad aliud ordinari. Substantia verò relatiua est, quæ respicit aliud; siue tanquam pars, vt materia, quæ ex Arist. respicit formam, & vtraque compositũ; siue tanquã principiũ originis, vt in Diuinis, Personæ, quarum quælibet refertur ad aliam sicut ad principium. Et hæc de significatione nominis Substantię, variaque ac multigena ipsius acceptione.

4 Cæterùm ex multis traditis Substantiæ significatis, illa præcipuè ad Prædicamentum Substantiæ spectant, quæ sunt vel vniuersales, vel singulares, & indiuiduæ; quarum primæ, idest vniuersales ab Arist. in præsentiarum, secunda; (Arist.) posteriores verò idest singulares, prima substantia appellantur. His declaratis, tradit Arist. definitionem primæ substantiæ his verbis; *Substantia, quæ propriè, principaliter, & maximè substantia,*

*tia, est, quæ neq; de subiecto dicitur, neq; in subiecto est.* Vbi aduerte, Philosophũ in definitione Substantiæ hanc loquendi rationem vsurpare, quia sic magis innotescit primæ natura substantiæ, quæ eo distinguitur ab accidenti, quia non est in subiecto; quia verò de subiecto non dicitur, à secundis substantijs discrepat. Quid sit autem esse in subiecto, & de subiecto dici, iam superiùs explicaui.

Post primæ definitionem substantiæ supponit similiter Aristot. definitionem secundæ his verbis, *Secundæ substantiæ dicuntur species, in quibus illæ, quæ principaliter substantiæ dicuntur, insunt, hæ quidem, & aliarum specierum genera*; idest substantiæ secundæ sunt illæ, sub quibus primæ essentialiter continentur, & de quibus quidditatiuè prædicantur: Quemadmodum enim totũ continet omnes, ac singulas eius partes, & partes sunt in toto, ita superius continet inferiora, & inferiora in eis sunt. Non solùm autem primæ substantiæ sunt in specie vltima, sed etiam in alijs generibus vsque ad summum, & primum inclusiuè. Ex quo sequitur, tam genera quàm species secundas substantias appellari, magis tamen species, quia magis accedunt ad naturam primæ substantiæ.

5 Ex his facillimè potest deduci, qua ratione in doctrina Aristotelis vna substantia sit alia magis substantia, quia scilicet minùs alteri inest, & de alijs minùs prædicatur; nanq; indiuiduũ nulli inest, & de nullo prędicatur; species verò in indiuiduis est, & de ipsis prædicatur: Proximum verò genus in speciebus est, & in indiuiduis, de quibus etiã prædicatur; & sic gradatim ascendendo, quò ad superiora accedimus. Quo fit, vt supremæ magis à natura primæ substantiæ elongentur, cuius natura est nulli inesse, & de nullo prædicari.

6 **Rursum substantia in completam, & incompletam solet distingui. Illa est substantia completa, quæ nec est alterius pars, nec principium, sed in se perfecta est, & terminata.**

**Illa verò incompleta est, quæ est principium, & pars alterius, nec ad modũ totius concipitur. Quod verò addunt aliqui, incompletam substãtiam esse eam, quę est via ad substantiam, vt generatio, à veritate alienum est. Nam generatio præcisè in creaturis accidens est, nõ substantia per tradita à nobis in libris de Anima, & in Metaph. Nihilominus capiendo generationem pro productione substantiæ, sic potest concedi esse substantiam incompletam; sicut calefactio, si capiatur pro ipso calore in fieri,**

dicitur calor incompletus; atque ita conceditur secundùm S. Bon. in 2. d. 24. p. 1. ar. 2. q. 1. ad vltimum, generationē reduci ad substantiam. Primo modo sunt substantia tam indiuidua, quàm species, & genera. Secūdo verò modo, materia & forma, differentiæ quoq; quæ ad modū totius non concipiuntur. Dixi in creaturis, quia in Diuinis generatio est substantia, & est completa, quia idem prorsus est, ac Persona genita.

D. Bon.

7 Porrò illud hic est aduertendum secundas substantias, licèt ad numerū earū, quę cōpletę dicuntur, redegerimus; tamen, si comparētur cum indiuiduis, incompletæ magis, quàm cōpletæ rationem induere. Enimuerò, vt diligenter notauit S. Bon. & cum eo reliqui cum Philosophi, tum Theologi, singulare addit supra vniuersale vltimum complementum, sicut suppositum supra naturam. Hinc est, vt vidimus superiùs, Aristotelem secundam substantiam hoc aliquid, significare, videri dixisse; cùm tamen re vera non significet, quia caret vltima actualitate, & complectione.

D. Bon.

8 Possumus ad hæc aliud substantiæ membrum assignare, ita vt alia sit incompleta, alia cōpleta, de quibus hactenus, alia denique perfecta. Perfectam autem dico illam, quæ includit omnem sibi possibilem perfectionē, à qua perfectione non solùm habet, vt sit, & existat; sed etiam vt operari possit, & se ad suum finem perducere: in qua perfectione etiam accidentales potentię cōprehenduntur; cùm sine eis substantia naturalis, & physica nequeat ad suas operationes obeūdas exire: Vnde, licèt accidentia naturalia sint extra essentiam substantiæ vt sic, tamen quoquomodo ad essentialem substantiæ naturalis perfectionem spectant, si non in ratione substantiæ simpliciter, saltem in ratione substantię naturalis; quandoquidem, vt vult Philosophus, exacta rei perfectio duo requirit. Alterum, quò ad esse; alterum, quò ad operari, vt & suis principijs substātialibus cōstet, quibus sit; & habeat naturales proprietates, quibus possit operari, & suum finem consequi.

9 Adde, ad substantialē substantiæ physicæ perfectionem requiri quantitatem; quippè cùm substantia physica sit essentialiter corpus, fieri non potest, vt careat quantitate. Quocirca impossibile esse puto, quod inquit Suarez, substantiam scilicet physicam abstrahere à partibus integrantibus; quia impossibile est, substantiam physicam non esse corpus; atqui non potest esse corpus physicum, si quantitate careat, & partibus integrantibus, vt in Metaph. latiùs à nobis demonstrabitur.

De

## De proprietatibus Substantiæ.

### Cap. II.

CVm omnis proprietas ad naturam consequatur, cõsequens est, vt natura Substantiæ explicata, ipsius proprietates inuestigemus; quas quidem ad senarium numerũ pertingere ex Arist. verbis in præsenti libet inferre, quarum singulas breuiter, ac dilucidè pro posse explanare conabimur.

Arist.

Prima Proprietas. *Omni substantia commune est in subiecto non esse*; idest, nulla substantia, siue prima sit, siue secunda, alij tanquam subiecto inhæret. Nam licèt primæ substantiæ in secundis insint, non eis tamen tanquam subiecto inhærent, sed tanquam partes subiectiuæ, & inferiores in suo toto vniuersali, & superiori; & propterea de subiecto non prædicantur. Aduerte ad maiorem huius veritatis cognitionem, aliquid in subiecto esse, posse trifariàm intelligi, vti exquisite in 1. sent. dist. 23. quęst. 2. obseruauit Sanctus Bonauentura. Primò videlicèt cùm in alio sit solùm inhærendo; quod ita proprium est naturæ accidentis, vt nulla ei nus substãtijs conuenire possit. Secundò, inhærendo simul, & distinguendo; & id maximè competit differentiæ substantiali, quæ ita suo subiecto inest, vt ipsum ab omni alio distinctum constituat. Tertiò deniq; inhærendo simul, & complendo; & hoc proprium est formæ, quę perficit materiam. Commune est igitur cuilibet substantiæ non esse in subiecto primo modo; quia nulla substantia, siue sit prima, siue secunda, in alio inest tantùm inhærendo; non incongruum tamen est alteri substantiæ inhęrere perficiendo, & distinguẽdo, vt secundis, & relatiuis substantijs: maximè verò proprium est primæ substantiæ nulli inesse siue inhærendo, siue distinguendo, siue perficiendo. Aduerte etiam, licèt ab Arist. inter proprietates substantiæ collocetur, quòd alteri non inhæreat, non ita tamen accipiendum esse, ac si sit solùm proprietas, immo est substantiæ essentiale, sicut supra in simili de accidenti monitum fuit.

D. Bon.

2. Secunda Proprietas. *Substantia est, quæ vniuocè prædicatur prædicatione recta*; quæ proprietas competit tantùm secũdę substantiæ, & differentiæ: Prima nanque, vt iam sæpè dictum est, de nullo subiecto prædicatur; at secundæ substantiæ, & omnes substantiales differentiæ vniuocè de prima prædicantur; vt de Petro, recta & essentiali prædicatione, prędicatur homo,

prædicatur & rationale vsq; ad summum genus, & supremam differentiam.

3 Tertia Proprietas. *Omnis substantia videtur hoc aliquid significare.* Porrò dicēdo, *videtur*, nō dicit absolutè significare, qa reuera secūda substantia hoc aliquid non significat. Sicut enim D.Bon. 1. sent. dist. 37. art. 2. q. 1. obseruat, *hoc aliquid*, duas necessariò importat habitudines. Aliam ad tempus, vt scilicet sit actu, & nunc. Aliam ad locum, nempe vt sit hic; quia ergo cum dico, *Petrus*, dico aliquid existens actu hic, & nunc, verè hoc aliquid significat: Cum verò dico, *Homo, Animal*, quæ pro principali significato important naturam præscindentem ab esse, & non esse, & consequenter ab esse hic, & nunc; ideo verè non significant hoc aliquid: nihilominus tamen videntur significare; quia cùm sint nomina concreta, non tantùm naturam, sed etiam id, quod naturam habet, in suo conceptu includunt; & ita respectu naturę simpliciter hoc aliquid non significant, rationem autem habentis naturam aliquid indeterminatum significant; idcirco non hoc aliquid significant, quia *hoc* dicit determinationem, videntur tamen significare.

S.Bon.

4 Quarta Proprietas. *Substantia nihil est contrarium.* In cuius declaratione quatuor, quę ad veram formalem, & directam contrarietatem, de qua hic est sermo, necessariò requiruntur, diligenter obseruanda sunt. Primum est, vt sint duæ formæ positiuæ. Secundum, vt se mutuò expellant. Tertium, vt sint sub eodem genere. Quartum, vt ad inuicem immediatè agant; quas ex Arist. desumptas recenset D. Bon. 2. sent. dist. 34. quæst. 2. & 3. ex quibus per se manifestè apparet, substantiæ nihil esse contrarium; cùm substantiæ non agant immediatè ad inuicem, nec se mutuò expellant. Quòd si dicatur, ignem, & aquā esse duo entia positiua sub eodem genere constituta, quæ ad inuicem agunt, & se mutuò expellunt; facilè respondetur, ignem, & aquam posse dupliciter considerari. Primò, vt sunt ab omni accidenti seclusa. Secundò, prout accidentibus substant. Primo modo non sunt contraria: Secundo verò contrariantur, nō quidem ratione sui, sed accidentium inhęrentium: Vnde aliqui addunt, & benè, formas illas necessariò esse accidentales.

Arist. S. Bon.

5 Quinta Proprietas. *Substantia non videtur suscipere magis & minus.* Multa essent circa hanc substantiæ proprietatem proponenda; est enim non modica controuersia inter Doctores cum in hac veritate defendenda, tum in ratione assignanda.

gnanda. Verùm quia in Logicis à quęstionibus, quā fieri poteſt, abſtinendum eſt, exactam huiuſce veritatis diſcuſſionem ad ampliorem, & aptiorem commoditatē deportandā putamus. Sufficiat pro nunc, Subſtantiā non ſuſcipere magis & minus; ſuſcipiēdo magis & minus logicè, non phyſicè: ſic enim hunc locū Ariſtotelis interpretatur S. Bon. 2. ſent. diſt. 3. dub. 2. lit. ideſt, ſubſtantiam prædicari æqualiter de qualibet ſubſtantia, ſiue ſit vniuerſalis, ſiue particularis; vt *Petrus eſt ſubſtantia, Homo eſt ſubſtantia*; ſiquidem hoc prædicatum, *Subſtantia*, non magis reſpicit Petrum, quàm Hominem. Addunt alij, Subſtantiam non ſuſcipere magis & minus; quatenus ſubſtātia dicitur à *ſe ſtando*, quod eſt eſſentiale ſubſtantiæ. At verò capiendo Subſtantiam, prout dicit aliquid alijs ſubſtans, poſſe ſuſcipere magis & minus; quod poteſt ſatis congruè ex ipſius verbis Ariſt. deduci, qui ſuperiùs docuit, ſubſtantiam primam eſſe magis ſubſtantiā ſecūda. Verùm hæc quoq; habent difficultatem: Certum quippè eſt, proprium eſſe indiuidui per ſe ſubſiſtere, & cōpoſiti; at verò partes, & principia nō niſi in cōpoſitis inſunt. Præterquāmquòd primæ ſubſtātiæ non dependent à ſecundis in ſubſiſtēdo; ſecūdæ verò depēdēt.

S. Bon.

6 Vltima Proprietas. *Maximè proprium eſt Subſtantiæ recipere contraria, tam ſimul & ſemel, quàm ſucceſſiuè*: Enimuerò ſimul & ſemel eadem pars aquę calida eſt, & frigida, licèt non in ſummo; & idem homo ſucceſſiuè modò eſt iuſtus, modò iniuſtus; nec mirum eſt, quippe cūm ſubſtantia non dependeat intrinſecè ab accidenti, poteſt cadere variatio circa accidens, manente ſubſtantia in ſua natura incorrupta. Et hæc proprietas, quam recolit 2. ſent. diſt. 1. ar. vlt. q. 1. S. Bon. nulli alij à ſubſtantia conuenire poteſt.

7 Quòd ſi obijcias, eandem propoſitionem ſucceſſiuè recipere contraria, vt, *Petrus eſt iuſtus*; tunc vera eſt, quādo Petrus habet iuſtitiam; falſa verò ſi Petrus cadat à iuſtitia.

Reſpondetur, non eſſe eandem rationem de veritate propoſitionis, ac de ſubſtātiā. Nam propoſitio recipit contraria, quia depēdet à re extrinſeca, qua mutata, ipſam quoq; mutari neceſſe eſt: Subſtantia verò recipit contraria in ſe, quia ipſa in ſe mutatur, recipiendo modò albedinem, modò nigredinem; quod non contingit in propoſitione, quæ mutatur non ratione ſui, ſed ratione extrinſeci obiecti, vt dictum eſt.

Si denuò obijcias, quantitatem in ſe ſuſcipere contraria.

Reſpondetur, hoc habere non ratione ſui, ſed ratione ſubiecti, in quo ipſa eſt.

## De Quantitate.

## Cap. III.

*Aristot.* QVanquam Aristot. initium capitis de Quantitate à diuisione ipsius in continuam, & discretam sumit; nobis tamen à nomine potiùs, ex ipsiusmet Philosophi præceptis, incipiendum, ac quotisariè Quãtitatis nomen accipiatur, aperiendum est. Quantitas itaque, *D. Bon.* vt habetur apud Diuum Bonauenturam in 1. distinct. 17. & 19. art. 1. quæst. 1. in corp. & in 3. distinct. 14. art. 1. quæst. 2. & alibi frequenter, & communiter apud omnes duobus modis accipitur. Primò, propriè pro quãtitate corporea, & molis. Secundò, transumptiuè, & metaphoricè, prout in spiritualibus reperitur, & quantitas virtutis nominatur. Licèt autem hoc posteriori sensu attendatur præcipuè penes potentiam agendi; vt cum Deus magna virtute, ac infinita vi pollere asseritur: tamen penes alias etiam perfectiones potest considerari: vnde in spiri- *D. Aug.* tualibus, auctore Diuo Augustino apud Diuum Bonauenturam magnum perinde est, ac bonum, & maius, ac melius: Cùm autem hæc quantitas sit transcendentalis, & ad Prædicamentum non attineat Quantitas, ea relicta, ad propriam declarandam posthàc incumbemus.

2 Definitur autem *Quantitas esse illa, à qua res dicuntur quanta.* Cuius definitionis sensus non est expositionis indigus; significat enim apertè Quãtitatem esse accidens, à quo res ipsę habent, vt extensæ sint, ac in partes quantitatiuas diuisibiles.

Post traditam Quantitatis definitionem, pergit Aristot. ad *Aristot.* multigena illius membra propo nẽda, ac prima diuisionis sectione geminam eam constituit, vt alia continua, alia verò discreta appelletur.

3 Continuam eam vocat, quæ communi termino copulatur; idest, illa est quantitas continua, cuius partes coniunguntur ad inuicem per aliquid, quod cùm non sit pars, est tamen terminus partis antecedentis, & subsequentis, quia vna pars nectitur alij per illum terminum, qui terminus vtique indiuisibilis est, nec est Quantitas, sed aliquid Quantitatis, puta copulatiuum partium Quantitatis. Huius autem continuæ quantitatis duo sunt genera: aliud permanentis, aliud successiuæ. Successiua illa est, quæ eo ipso, quòd est, in quodam fluxu consistit; ita nanque habet esse, vt nihil illius persistat, sed successiuè vna pars alij succedat, & dum posterior aduenit, prior depereat; cuiusmodi sunt tempus, motus, & si quæ alia id genus sunt. Permanens

nens verò illa censetur, cuius partes simul existunt, & permanent; & huius tres assignantur species, nempè Linea, quæ est longitudo sine latitudine; linea quippè est diuisibilis in longum, neutiquàm autem in latum; huius lineæ terminus communis reputatur punctum. Superficies, quæ est longitudo cum latitudine sine profunditate; nam superficies extenditur in longũ, & in latũ, non autem in profundum; & huic pro termino communi ascribitur linea. Corpus, quod est longitudo, latitudo, & profundum, quæ aliis vocibus tres Quantitatis dimensiones nuncupantur.

4 Aduerte autem bifariè posse nos de his dimensionibus tractare.

Primò, vt sunt in substantia; & hæc consideratio physica vocatur.

Secundò, vt sunt à substantia abstractæ, & ita mathematicæ nominãtur; atque in assignanda lineæ, aliarumque specierum definitione Mathematicam potiùs secuti fuimus, quàm Physicam; ac propterea lineam longitudinem magis, quàm longam descripsimus: tametsi, etiam nõ habito respectu ad substantiam, linea longa sit, sicut & quantitas quanta.

5 Discretam eam esse definit, quæ tali termino communi vacat: quo fit, vt partes non inuicem cohæreant, sed magis disgregatæ existant; id quod ipsum nominis, *Discreta*, etymon demonstrat: discretum siquidem est, quod simul non cohæret, sed ad inuicem seiunctum est: huius autem species numerantur numerus, & oratio.

6 Porrò quantitas continua adhuc bimembris est. Alia, cuius partes positionem habent; ita vt vna pars sit hic, altera illic, & vna respondeat parti quãtitatis extrinsecæ, quæ est locus; vnde hæc quantitas in solis permanentibus reperitur. Alia, cuius partes non habent positionem, quamlibet ordinem seruent; aliud enim est ordo partium, aliud positio. Ordo necessum est in omni cadat quantitate, ordo videlicet prioritatis; quia vna pars prior est alia, deinde alia: & si quantitas est continua, nunquàm erit deuenire aut ad primam, aut ad vltimam; quia quodlibet continuũ est diuisibile in infinitum: positio autem non in omni intercedit quantitate, sed in ea dumtaxat, cuius partes actu vnitæ existunt. Et hactenus de nomine, ac natura Quantitatis ex doctrina Arist. qui vlterius proficiscẽs, proprietates ipsius incipit indagare, easque ad ternarium numerum reducit; quarum

7 Prior est, *Quantitati nihil esse contrarium*; nanque vna quantitas non est alteri contra-

ria, cùm verę contrarietatis conditiones sint à quātitate alienæ. Sin autem obijciat quis, magnum paruo, & longum breui esse contrarium. Respond. Arist. magnum, & paruum, &c rationem magis relatiuorum, quàm naturam quantitatis induere: magnum quippè non nisi comparatè dicitur ad paruum; propterea si vnica in Mundo natura existeret, nec parua, nec magna haberetur. Sin autem adhuc persistat, hæc esse absoluta, & ad genus quantitatis attinere. Respondendum est, non esse proptetea etiam contraria, quia non sunt adinuicem actiua.

8 Media proprietas est, *Quantitatem non suscipere magis, & minus*; tam enim vtiq; est quantitas linea breuis, ac corpus magnum; tametsi hæc sit maior quātitas, quàm illa: vnde multum discriminant magis, & maius; magis quippè respicit naturam, maius partium indicat pluralitatem.

10 Vltima proprietas, *Maximè proprium Quantitatis est, æqualem dici, & inæqualem*; æqualitas enim in rebus consequitur ad quantitatem, sicut similitudo ad qualitatem, & identitas ad substantiam.

## Diluuntur aliquot difficultates in hac materia occurrentes.

## Cap. IV.

MVlta profectò de Quantitate superant explicanda; at verò Lacedæmonum more, multis omissis, seu ad commodiorem occasionem reportatis, ea hic, quæ necessariora parent, candidè declarabimus.

Sit ergo Primum Dubium circa Quantitatis definitionem ab Arist. 5. Metaph. cap. 12. de Quantitate traditam, *Quantum est, quod est diuisibile in ea, quæ insunt; quorum vtrunq; vel vnūquodq. vnum quid, & hoc aliquid aptum est esse*; idest quantum est illud, quod in eas partes diuidi potest; ex quibus verè, & realiter constat; quæ partes singulæ diuisæ vnum ens esse, & hoc aliquid, idest indiuiduum possunt, & cum actu diuisæ erunt, singulæ vnum ens indiuiduum erunt. Ex qua definitione colligitur Primò, quantum nō posse diuidi in puncta, vel alia indiuisibilia, cùm nec quantum constituant, nec in quanto tanquam partes existant. Deinde infertur, quantum hic definitione comprehensum Physicum esse, non Mathematicum, quando propriè hoc aliquid Arist.

aliquid non nisi de substantijs enuncietur: verum tamen est suo etiam modo quanto Mathematico definitionem competere, & coaptari posse. Illud autem non est obiter prætereundum, in quanto, si pro substantia quanta capiatur, vt visus est accepisse Arist. præallegato loco 5. Metaphys. primum definitum esse quantitatem ratione verò ipsius etiam substantiam: si quidem prima ratio diuisibilitatis congruit quantitati, & ab ipsa in substantiam transfunditur: vnde benè Arist. initio cap. de Quantitate aiebat, Quantitatem esse, à qua res dicuntur quantę; Atque hinc Tertiò probabilissimè deducitur, diuisibilitatem extensionem, & cætera huiusmodi esse prædicata analoga, non vniuoca, si de substantia, & ipsa quantitate enuncientur. Ratio est, quia isthæc primò, & per se, & independenter conueniunt quantitati, substantiæ verò quantæ quasi per participationē, & adeò depēdenter, vt, si nulla esset probabilis quātitas, nulla identidē possibilis foret substātia corporea, ac quanta. Quartò colligitur de rōne quantitatis intrinseca, & quā ti non esse vt actu diuidatur, sed sufficere si talis sit naturæ, vt diuidi possit; id quod subtiliter notauit S. Bon. in 4. dist. 12 par. 1. ar. 1. quæst. 1. Sicut quippè, ait ille, non est essentiale quāto actu inhærere, sed aptitudine, ita non est essentiale quanto actu diuidi, sed tale esse, vt admittat aptitudinem ad diuisionem. Ex qua doctrina patet aditus ad multorum dubiorum solutionem aliquando tenellas adolescentum mentes obruentium.

Arist. — S. Bon.

2 Secundum Dubium est, in quo consistat ratio formalis quantitatis; equidem varij variè opinantur. Alij enim rationem formalem existimant esse diuisibilitatem, seu partibilitatem; in quam sententiam videtur aliquibus inclinare S. Bon. Alij opinātur esse mensurabilitatem: Alij deniq; partiū extensionē: quam sanè sententiam amplexatus est Seraphicus, vt verba ipsius in 4. distinct. 12. par. 1. artic. 1. quæst. 3. ad tertium liquidò testantur: ait nanque *Quantitas, formaliter loquendo, habet extensionem de natura sui generis: Vnde non saluatur quantitas, nisi etiam extensio*. Et eadem dist. & parte art. vltimo, quæst. secunda in corp ait, Diuisionem consequi quantitatem per se. Ex quibus infero, extensionem esse rationem formalem, diuisionem verò effectum primarium, & passionem per se idest, necessariò consequētem ad eam: & hanc opinionem veluti probabiliorem, ac verosimiliorem secuti sunt postea viri eruditissimi Iesuitarum, vt Suarez Disp. 40 super Metaph. Sect. 4. & alij non pauci præsertim, vt dixi

D. Bon. — Suarez

de

de Recentioribus Iesuitarum Magistris.

Adderē tamen, & fortasse nō ineptè, rationem formalem quātitatis esse quid prius ad illa omnia; ita vt extensio, mensuratio, partitio sint quasi quidam effectus, & passiones consequentes. Prima autem ratio, cùm sit occulta, & propria careat nomenclatione, rectiùs per extensionē, quàm per diuisionem definitur. Nam ex eo quòd, verbi gratia, in ligno vna pars non sit alia, & extra aliam, sequitur lignum in plures partes esse partibile.

3 Tertium Dubium est, an quantitas sit re distincta à substantia quanta?

Respondetur indubitanter, quantitatem esse quid realiter distinctum à substantia; cùm quantitas accidens sit; & omne accidens primaria distinctione à substantia secernatur, iuxta communem Arist. aliorumque partitionem entis in substantiā, & accidens, quæ sunt primò diuersa. Hanc veritatem mirificè commendat realis quotidiana accidentium omnium à substantia in almo Eucharistiæ Sacramento vi verborum facta separatio: clarum enim est, ibi quantitatem re distingui à substantia, & subiecto; vt cum communitate Theologorum affirmat, & probat sanctus Bonauentura in 4. dist. 12.

4 Sed modò grauior emergit difficultas, quid futurum de substantia quanta, si ab ea Diuina virtus seiungeret quantitatē, & ita nudam seruaret?

Huic porrò difficultati varia consueuit adhiberi responsio, vt videre libet apud Suar. recensita Disput. Nam quidam existimant, illam substantiam ad vnū indiuisibile restringendā: quod Dictum licèt in superficie satis appareat probabile, cùm diuisibilitas consequatur ad quantitatem, ita vt totius diuisibilitatis sit origo; Si tamen res intimiùs examinetur, id impossibile esse clarè perspicitur. Nam quo pacto partes multæ, puta caput, manus, pedes, in quibus singulis substantiæ portio non modica offenditur, ad vnum quid indiuisibile poterunt reduci? præterquamquod non seruaretur substantia in esse suo essentiali.

Propterea alii arbitrantur, illam substantiam permansuram extensam; non quia foret diuisibilis, sed quia pars nō esset alia, seruantes omnes suam positionem: quam opinionem videtur sequi Suar. cum aliis ab eodem relatis. Sed istuc adhuc magnā inuoluit repugnantiam, quomodò seruetur caput, quomodò manus, & sint à quantitate immunes, & nihilominus vnū ens sit, & vna substantia; non enim ratio percipit, quomodò vnum sit, quod non est continuum; &

quo

quo pacto continuetur, quod ex pers est quantitatis?

Idcirco alii opinantur, substãtiam habere ex se absque beneficio quantitatis, aliquam diuisibilitatem, & continuitatem. Cæterùm hoc rursus magis à veritate recedit, cùm quantitas sit, à qua res sunt quantæ, & sumunt extensionem, diuisionem, & continuationem.

Ego quidem, si meam libeat ferre sententiam, reor Primò, impossibile esse etiam per Diuinã potentiam, substantiam corpoream seruari in esse ab omni quãtitate seiunctam.

Nam radix corpulentiæ, & veræ corporeitatis est quantitas, quippè pro tanto substantię sunt corporeæ, quia habent à quantitate, quæ est primum corpus, corporeitatem; sed de his vberiùs suo loco in Metaph.

5 Quartum Dubium. Cur quantitas, & quantitatis species prędicentur tam in concreto, quàm in abstracto; dicitur enim, linea est quantitas, &, linea est quanta: Similiter superficies est latitudo, & est lata; similiter de aliis, quod ita peculiare est quãtitati, vt nulli alii, siue sit accidens, siue substantia, competat; non enim dici potest, homo est animalitas, nec Petrus est humanitas, nec albedo est qualis; cur ergo hoc magis de quantitate?

Ego missis aliorum responsis, ne breuitatis metam transcendam, puto, id soli quantitati conuenire ratione suæ simplicitatis, ex sancto Bonau. in 2. distinct. 27. dub. 3. lit. Siue enim sumatur quantitas in concreto, siue in abstracto, idem in re significatur, quamlibet in modo diuersum; reliqua verò omnia in concreto aliquam compositionem important, siue subiecti, & formæ in concretis accidentium, siue naturæ, & suppositi, seu habentis naturam in concretis substantiæ: Vnde cum dico, verbi gratia, *calidum*, duo includo, & formam caloris, & subiectum, cui calor inhæret; sic cum dico, *hominem*, dico & humanitatem, seu humanam naturam, & id, cui natura communicata est; siue illud sit re diuersum, siue non; siue faciat compositionem cum natura, nec ne: nam de hoc in pręsentiarum non curo. At verò cum dico, *quantum*, non dico aliquid concretum verè, nec duo includo, nisi quantum capiatur physicè; tunc quippè quantum connotat quãtitatem, & substantiam quantitati subiectam. Ea igitur de causa quantitas & in concreto, & in abstracto prædicatur, licèt verè non sit ibi concreti natura: & isthæc à Deo ita ordinata sunt, vt à creaturis colligeremus, multò meliùs id posse competere Creatori, qui est suum esse, & sua entitas; & ratione suæ simplicitatis infinitæ dici-

D. Bon.

dicitur sapiens, & bonus, & ens, sed rectiùs, &, vt ita dicam, veriùs, sapientia, bonitas, & entitas.

## De Relatione.

### Cap. V.

S. Bon. COpiosum valde, ac vberem de Relationibus Tractatum habemus apud Seraphic. Doct. in 1. sent. Nam cùm frequens in eo libro de Relationibus Diuinis mentio habeatur, iugis earum est apud Theologos disputatio. Antequam autem vlteriùs gressus trahamus, scire conuenit, relatiuum inde dictum, quòd importat relationem ad aliquid à se quoquo modo diuersum: vt enim peroptimè notauit S. Bon. in 1. dist. 30. dub. 3. lit. relatio non prædicat quid absolutum, sed prædicat ordinem ad alterum: Vnde eius definitio in ordine ad aliud sumenda est. Scitè propterea Arist. relatiui definitionem assignans semper, & vtique in ordine ad aliud tradit; vt videre est hic cap. Ad aliquid, vbi geminam definitionem prodit. Altera est, *Ad aliquid talia dicuntur, quacunque ipsum, quod sunt aliorum dicuntur; vel quomodolibet aliter ad aliud.* hoc est, Relatiua dicuntur ea omnia, quæ aliquo modo ordinem habent ad aliud; vnum quippè relatiuum vocat, vt ita dicam, aliud. Hæc definitio creditur tradita ab Aristotele de mente Antiquorum; quamobrem aliam continuò de mente propria subnectit, quæ est huiusmodi. *Ad aliquid sunt, quacunque hac ipsa, qua sunt, aliorum esse dicuntur; vel quomodolibet aliter ad alterum.* Quæ in eo à præcedenti dumtaxat disterminat, vt illa per dici, *ad aliquid dicuntur*; hæc verò per esse, *ad aliquid sunt*, tradatur. Hinc reor, deductum esse geminum illud relatiuorum genus, nimirùm, secundùm esse, & secundùm dici; quo ab alijs alijs verbis transcẽdentale, & prædicamentale nuncupatur: Quamuis non desint, qui relationem *secundùm dici*, non esse eandem cum transcendentali autumant. Verùm quidquid sit de hoc, discrimen inter vtranque assignemus; fortassè enim ex tradita differentia, quid sentiendum fuerit, dignoscetur.

2 Porrò relatio *secundùm dici* ex S. Bonau. in 1. dist. 30. quæst. vlt. in argumentis, argum. 4. est modus respectus; relatio verò *secundùm esse* est veritas respectus. Modus autem dicitur, quia ad modum relationis se habet, cùm non sit vera relatio; sicut dicimus differentiam prædicare modum accidentis. D. Bon.

Aduer-

Aduerte autem ex eodem S. Doct. vbi supra in solutione illius argumenti, relatiua secundùm esse esse duplicis generis: Quædam ex parte vtriusq; extremi, vt Dominus, Seruus. Quædã ex parte alterius tantùm, vt scibile, & scientia. Neq; huic doctrinæ aduersantur ea, quæ idem Seraph. Doct. alibi, nempe dist. 34. art. 1. quæst. 2. ad 6. exarata reliquit, inquiens, Intelligens ad intellectum, & videns ad visum referri secundùm dici, non secundùm esse. Nam aliud est scientia, & scibile; aliud sciens, & res scita; & quidem scibile refertur ad scientiam relatione secundùm esse; sciens verò ad scitum relatione secundùm dici. D.Bon.

3 Hinc facilè lubet inferre, non esse prorsus eadem relatiua secundùm dici, & transcendentalia. Nam quædam sunt transcendentalia simul, & secundùm esse, vt scibile, & scientia per tradita à nobis supra de nomine transcendentali. Nulla autem possunt esse simul relatiua secundùm esse, & secundùm dici. Porrò relatio secundùm dici, & transcendentalis posset nomine proprio mixta appellari: Relatio autem secundùm esse simplex, & impermixta.

4 Relatio prædicamentalis, de qua potissimùm est sermo in præsenti, solet dupliciter partiri; vt alia æquiparantiæ, disquiparantiæ alia nominetur. Hæc est illa, in qua termini vario nomine vocantur; vt Pater, & Filius. Illa est, in qua idem nomen in vtroque termino vsurpatur; vt æquale refertur ad æquale, simile ad simile, & cætera. Rursùm relatio, alia realis, & mutua, quando termini inuicem reciprocè referuntur; vt Pater ad Filium, & Filius ad Patrem. Alia rationis, & non mutua; quando vnum tantùm refertur, reliquum verò non item; cuiusmodi sunt omnes relationes inter creaturas, & Creatorem; creatura enim verè refertur ad Creatorem, Creator autem neutiquam ad creaturas. Ita docet cum alijs S. Bonauent. in 1. dist. 30. quæst. vltima in corp. & alibi. Quòd si roges, cur hæc relatiua, quorum alter terminus refertur realiter; alter ratione, magis relatiua rationis, quã realia appellentur. Resp. quia cõstitutũ sequitur debiliorẽ partem. D.Bon.

## Traduntur proprietates Relationis.

## Cap. VI.

Quatuor Proprietates relatiuorum affert Aristot. allegato capite, quarum Prima Arist.

Prima est, *Relatiuis inesse contrarietatem*; Idest, non repugnat relatiuis inesse contrarietatem: ita quippè se exponit Arist. quia non omnibus relatiuis inest contrarietas. Aduerte autem, & solerter considera modum loquendi; ait enim inesse relatiuis contrarietatem, non, relatiua esse contraria; quia propriè, & formaliter relatiua non sunt opposita, nisi oppositione relatiua, quæ non est vera contrarietas: quòd si aliqua eis inest contrarietas, magis est respectu fundamenti, quàm ipsius relationis: nam scientia, cuius exemplum prodit Arist. non est scibili opposita, sed ignorantiæ, non refertur autem ad ignorantiam, sed ad scibile; ergo contrarietas relatiuis, si qua inest, non inest intrinsecè, & vt relatiua sunt, sed extrinsecè vt quid absolutum.

2 Secunda Proprietas, *Relatiua videntur suscipere magis & minus; simile enim, & dissimile, æquale, & inæquale magis & minus dicitur*. Huius autem proprietatis ratio ea videtur; quòd, cùm similitudo in qualitatibus, æqualitas autem in quantitate attendatur, fieri potest, vt vna res magis sit similis, aut dissimilis, æqualis, aut inæqualis iuxta proportionem graduum, & partium, verbi gratia calidum vt duo, est omninò simile calido vt duo; & hæc inuicem sunt similiora, quàm sint calidum vt duo, & calidum vt quatuor; quæ cùm cuilibet speculanti nullo negotio se ipsis sint manifesta, haud est, cur in hac proprietate exprimenda tempus conteramus. Illud tantummodò monuerim, proprietatem istam non omnibus, ac singulis congruere relationibus: Pater siquidem non est magis, aut minus Pater vnus, quàm alius; tametsi vnus vnicum filiũ, alius plures genuerit. Illi ergo solùmodò conuenit cuius fundamentũ aut intentionẽ graduum, aut partium extensionem compatitur. Hæc autem proprietas mutatur ad mutationẽ fundamenti, vel in altero extremorum factam; vt cum alteratur calor in vno, alio inalterabili permanente; vel vtroque dissimiliter alterato. Vnde pullularunt illæ regulæ ab omnibus communiter receptæ, quarum duę ad quantitatem, duę verò ad qualitatẽ spectant, sunt autẽ hę.

3 Si ab æqualibus æqualia demas, vel æqualia æqualibus addas, quæ remanent, sunt æqualia, &c.

Si ab inæqualibus æqualia detrahas, vel inæqualibus æqualia adiungas, quæ supersunt, inęqualia erunt. Eodẽ modo philosophandum est de similibus, ac dissimilibus.

4 Tertia proprietas, *Relatiua omnia dicuntur ad conuertentiam*; Hoc est, talis est conditio relatiuorum, vt vnum inferat

ferat aliud; vt si Pater est Filij Pater, & Filius est Patris Filius. Hic tamen illud obseruandum est ex *S.* Bonau. in 1. dist. 26. dub. 8. lit. sumendum esse in terminis proprium relatiuum; alioquin facilis recluditur via ad errorem, verbi gratia, ala est alati ala, non autem auis; ala enim infert alatum non auem, sicut caput capitatum.

*D. Bon.*

5 Quarta Proprietas. *Videntur relatiua esse simul natura.* Simul autem hic accipitur per negationem prioritatis, aut posterioritatis. Nam vnum relatiuum non est prius, aut posterius natura altero, multò minùs tempore; cuius optima ratio ex ipsa relatiuorum essentia colligitur; quia totum esse relatiuorum est esse ad aliud. Si ergo vnum relatiuum esset prius natura altero, relatiuum esset antequàm essentia relationis constaret: loquimur autem de relatiuis actu, non potentia; sic enim scientia simul natura est cum scito, quamuis scibile prius existat. Non solùm autem relatiua sunt simul natura, sed etiam cognitione. Quare, qui distinctè vnum percepit relatiuum, alterum itidem perceperit, necessum est: & eodem modo qui determinatè nouit, hoc album esse intensius alio, cognoscet pariter aliud esse remissius.

## De Qualitate, & Quali.

## Cap. VII.

Quoniam omnem substantiam corpoream quàm plurimæ consequuntur qualitates, operæ pretium fuerit, quid sit qualitas, & quotuplex, & quemadmodùm se habeat ad substantiam inuestigare. Nam, vt dixi, nulla est substantia, quæ suis non sit affecta qualitatibus; vt propterea non sit in controuersiam vocandum, an detur qualitas? Hoc itaque tanquam indubitato supposito, ad ipsius definitionem quærendam pergamus.

*Defini*tur autem ab Arist. c. de Qualitate, & quali, esse *secundùm quam quales quidam dicuntur*. Idest, qualitas est ea, quæ inhærendo subiecto ita illud afficit, & qualificat, vt per ipsam quale dicatur. Hinc, mea sententia, ortum habuit antiquatum illud prouerbium, vt scilicet personę multis scientijs, ac virtutibus præstantes qualificatæ habeantur, ac nominentur. Dicitur, secundùm quam dicuntur quales, hoc est in re, & in modo, ad differentiam substantialis differentiæ: nam, & per eam res dicuntur quales, sed in modo tantummodo non in re: quippè à rationalitate dicitur ratio-

*Aristot.*

rationale, sicut à speciositate speciosum. Quare differentia facit quale quid, qualitas autem quale. Iam verò Qualitatis natura exposita, mox ipsum etiam quale describit his verbis. *Quale est; quod à qualitate denominatur*; id verò est subiectum, cui qualitas inhæret; & ista nõ egent expositione, cùm satis per se clara sint, & manifesta.

2 Subnectit deinde Aristot. more solito qualitatis proprietates, quæ ad tria genera reducuntur. Prima est, *Qualitatibus inesse contrarietatem*, idest, vera contrarietas inter qualitates intercipitur, quia in his conditiones ad contrarietatem requisitę reperiuntur; agunt enim adinuicem, se mutuò expellunt, & sunt formæ accidentales positiuæ. Hæc autem proprietas nõ omni competit speciei qualitatis, quãtumuis soli qualitati in genere congruat.

3 Secunda Proprietas. *Qualitas suscipit magis, & minus*; idest talis est conditio qualitatis ex natura sua, vt suscipiat magis, & minus nõ solùm quoad graduum intensionem, & remissionem (pro eodem enim in pręsentiarum magis & minus, ac intendi, & remitti accipi opinor) verùm etiam quoad prædicationem; nam magis album, & magis calidum efficit vna caloris, vel albedinis portio, quàm alia. Immò putarem, hanc proprietatem ab Arist assignatã fuisse in ordine ad subiectũ; quia sic lucidiùs constat, qualitatem suscipere magis & minus, vt multis prosequitur *S. Thom.* Certius nanque est, & euidentius, vnum subiectum esse magis alio calidum, quàm vnum calorem esse alio magis calorem; cùm re vera totam caloris naturam ita æquè cohibeat vnus gradus caloris, ac duo; & duo, ac octo. Hinc sequitur, qualitatem posse in gradibus augeri, & minui intensiuè absque dispendio naturę qualitatis, quæ non exigit certum statum graduum; sicut potest augeri, & minui quantitas extensiuè, nulla intercedente mutatione in natura, ac essentia quantitatis. Dico, in essentia, quia in entitate aliter res se habet; cùm entitas sit ipsamet quãtitas, aut qualitas. *S. Tho.*

4 Tertia Proprietas. *Similitudo, & dissimilitudo in solis inueniuntur qualitatibus*. Intellige per se primò; nam participatiuè est etiam in subiectis, quia ignis est alteri igni similis ratione caloris; quippe similitudo est relatio, & quasi quidam effectus consequens ad qualitatem, sicut æqualitas, & inæqualitas ad quãtitatem.

5 Quæres, quid sit qualitas prima, & secunda?

Respondetur, qualitates primas eas censeri, quæ ex alijs qualitatibus non fiunt, & aliæ ex ipsis

ipsis resultant. Duo enim hęc ad rationem primi requiri, colligo ex Arist. 1. Physic. & apertè testatur S. Bon. Vnde perperàm à quibusdam asseritur, qualitates primas solùm exigere, vt non sint ex alijs. Nam lux inter primas qualitates nō recitatur, quę tamen ex nulla qualitate compingitur; qualitates verò secundas eas esse, quæ ex alijs consurgunt, idest ex primis, vt sunt colores, sapores, odores, & alia omnia, quę ex primis cōpaginantur.

Arist. S. Bon.

## De speciebus Qualitatis.

## Cap. VIII.

QVatuor ab Aristot. hic D. Bon. & alijs communiter numerantur species qualitatis: Habitus scilicet, & dispositio: Naturalis potentia, & impotentia: Passio, & passibilis qualitas: Forma, & figura, de quibus singillatim breui, & facili indagine præsenti capite agendum. Cæterùm, vt naturam qualitatis, quæ hactenus non videtur exactè, & adamussim fuisse explicita, faciliùs percipiamus, dedecet ignorare, substantiam naturalem, ad quam ordinata est Qualitas, triplicem posse habere statum. Alium in sua existētia, quatenus actu existit. Alium in operatione, quatenus est causa productiua. Vltimum in cognitione, quatenus cognoscibilis est: & secūdùm hunc triplicem statum congruas sibi vēdicat qualitates. Etenim substātia licèt essētialiter in esse constituatur ex solis principijs essentialibus, puta materia, & forma; nihilominùs nō posset naturaliter existere sine suis debitis qualitatibus: quæ qualitates sunt conseruatiuæ vnionis principiorum; quod ex eo facilè lucet, quòd abactis qualitatibus, ipsa substātia continuò corruit; sicut corruit domus, si littura, & bitumen auferatur: pari ratione substantia. Sed enim esto, substātiā absque qualitatibus existere posse, non poterit tamen sine eis operari: cum q; cōpleta rei perfectio, teste Philosopho, duo postulet; vt & in se ipsa existat, & sua munia exerceat, idq; se solā nudè considerata præstare non valeat, consectaneum est, qualitatem ad absolutam, & completam substantiæ perfectionem attinere, saltem saltem in ratione causæ: Et istæc eò veriora sunt, si de qualitatibus, quæ proprietates appellantur, sermo habeatur, & de his, quæ ita naturam exornāt, vt sine illis manca censeatur; cuiusmodi sunt habitus virtutum, ac scientiarum, sine quibus à Philosopho homo mancus reputatur.

Arist. D. Bon. Arist.

2 Idipsum asserendum opinor quoad cognitionem: nam accidentia sunt maximè sensibi-

lita, ac proinde rerum cognitioni valde proficua; & hoc sensu potest simpliciter admitti, accidentia conducere ad cognitionẽ substantiæ, sicut cõmuniter Doctores affirmant. Ergo vt id, quod iam fermè nos prætererat, iterũ resumamus, natura qualitatis potissimùm in ordine ad hæc tria bona, quæ substantiæ impertit, petenda est; quocirca Qualitas accidens absolutum est, quoquo modo tamen ad essentialẽ, & intrinsecã corporeæ substantiç rationem spectans, quatenus videlicet sine ea nec actu existere, nec aliquid ad extra operari, nec facilè potest cognosci; ideo censetur qualitas maximè se tenere ex parte formæ, non solùm quia formam comitatur; sed etiam quia similitudine quadã est principium intrinsecum rei existendi, agendi, & innotescendi.

3 Iam verò his in communi digestis, ad primam Qualitatis speciem exponendã accedamus. Est autem, vt dictum est, Habitus, & dispositio. In cuius gratia scire conuenit, Habitum bifariè à Doctoribus vsurpari; etenim aliquando pro eodem capitur, ac Habere, quod est vltimũ Prædicamentũ, de quo suo loco. Interdũ verò, & frequẽtiùs pro qualitate potentiã perficiente, vt & prompriùs, & faciliùs possit in suas operationes prosilire; & de hoc agimus in pñenti; definiturq; ab Aristot. esse qualitas difficilè amouibilis à subiecto; & in hoc maximè discriminat à dispositione, quæ est qualitas eiusdem speciei cũ Habitu secũdùm magis, & minus perfectiùs, & imperfectiùs ab ipso disterminãs, vt post D. Bon. in 4. dist. 6. p. 1. ar. 1. quæst. 3. notauit optimè Titelm. lib. 3. de Prædicam. Dicitur autem habitus difficilè amouibilis à subiecto, quia est benè radicatus, & ita subiectum afficit, vt veluti quodam naturali pondere inclinet: vnde consuetudo, quæ maximam habet cum Habitu cognationem, altera natura appellatur; quæ autem naturalia sunt, vel quasi naturalia difficillimè amittuntur, & à subiecto seiunguntur, vt optimè post alios luculenter prodidit S. Bon. ad 12. Sap. caput.

D.Bon.

Titelm.

S. Bon.

4 Hinc patet, quid sit dispositio, & quemadmodùm ab Habitu differat: nõ enim putandũ est differre ad inuicẽ, sicut duę species diuersæ sub eodem genere, sed sicut vna qualitas à se ipsa secundùm magis, & minùs perfecta. Eapropter cùm dispositio nõ sit tam tenaciter subiecto affixa, nec intimiùs radicata, atq; adeò non ita ac habitus, aut natura subiectum inclinans, facilè amouibilis definitur. Hinc oritur aliud discrimen à posteriori, habitu scilicet faciliùs, quàm sola dispositione actus elici, & perfectiùs. Nam quantò aliquid perfectiùs in essendo est, tantò

etiam perfectiùs agit.

5 Modo superest, vt varietatem habituum breui sermone perstringamus. Habitus itaq. alij sunt corporis, alij animi: hi potentijs animi, illi corporis resident. Habitus animi sunt scientiæ, virtutes, & aliquæ artes. Habitus corporis sunt sanitas, pulchritudo, artes aliquæ, pingendi, saltandi, & aliæ id genus. Sed illud circa hos habitus notandũ, licèt sint corporis, supponere tamen animam, & non quãcumque sed intellectiuam, aut vt minimùm sensitiuam: Vnde aliqua etiam animalia irrationalia per assuefactionem aliquos istiusmodi habitus addiscere cernuntur, vt saltandi, &c. Hi autẽ habitus omnes vel sunt acquisiti, vel infusi. Infusi dicuntur, qui nulla hominis industria Diuinitùs animis, vel corporibus infunduntur; vt gratia gratum faciens, & reliqua dona gratis à Deo data. Nec mireris, si etiam inter infusos habitus corporis collocarim; certum quippè est, ac omnibus in Diuinis historijs manifestum, Iudith additam esse desuper gratiam, & pulchritudinem, alijsque non paucis similiter & sanitatem. Vnde S. Paulus dona S. Spiritus commemorans, inter ea & donum sanitatis connumerat. His addunt aliqui habitus innatos, sed alijs istuc ipsum non placet. Ego quidem, si de habitibus animi conclusio feratur, posteriori adhæreo opinioni. Sin verò de habitibus corporis, priori subscribo. Nam sanitas, & pulchritudo habitus sunt; nec sunt infusi, nec etiam acquisiti; quandoquidem ista natiuitas secum ista trahit, & ducit: omnis autem habitus propriè sumptus addit aliquid re diuersum super potentiam, vt optimè tradit S. Bonauent. in 2. dist. 25. par. 1. ar. 1. quæst. 5. in corpore; & ea ratione superponuntur potentiis, vt & ipsas quodammodò circa actiones dirigant; maximè habitus, qui voluntati inexistunt, quæ est potentia cæca, & indifferens; & vt ipsæ potentiæ faciliùs, vt diximus, & suauiùs operentur. Et de prima specie hactenus. Qui plura videre affectat, consulat S. Bon. locis nuper cit. 2. & 4. sent. & nostras quæstiones animasticas, & metaphysicas; in quibus de habitibus tum in communi, tum in speciali pleniori stylo pertractamus. D.Bon.

6 Secunda species est naturalis potentia, & impotentia. Est autem Potentia, de qua in præsenti, accidens à natura subiecto adiunctum, seu ex naturali rei complexione resultans, cuius ratione aptum est naturaliter agere, & pati. Impotentia verò accidens ex eadem naturali complexione defluans, ratione cuius subiectum efficitur ineptum

ptum ad agendum, & patiendum. Horum exempla ponuntur hic ab Arist, & Seraph. Doct. in 1. dist. 3. par. 2. ar. 1. quæst. 3. de cursore, & pugillatore; denominatur enim cursor à quadam naturali habitudine, qua animal viget ad cursum; & alia huiusmodi multa reperies in hominibus; vnde tales homines communiter actiui appellantur, extenso hoc vocabulo ad omnem naturalem aptitudinem.

Arist. S. Bon.

7 Illud tandem sciendum, Naturalem impotentiam magis esse carentiam naturalis potentiæ, atque adeò importare priuationem, quàm positionem, formaliter loquendo: etsi Arist. contradistinguens potentiam ab impotentia, non accipit impotentiam omnino priuatiuè, sic enim non esset qualitas; sed prout dicit quandam remissionem eo modo, quo dispositio respectu habitus.

Tertia species est, Passio, & passibilis qualitas. Est autem passio accidens aduenienes insolitè subiecto, & citò transiens; vt rubedo aduenieens faciei propter verecundiam, vel pallor propter timorem. Dicitur verò passio, quia dicit rem in fieri subitò trãseuntem, cuius meminit aliquando S. Bon. in 4. dist. 14. dub. 4. sup. lit. Ad hanc passionem reuocantur omnes primi, ac repentini motus. Passibilis qualitas est accidens inhærens, & permanens in subiecto, vt rubedo ex cõplexione naturali prouenieẽs.

D. Bon.

8 Quarta species est, forma & figura: est autem figura, prout spectat ad speciem qualitatis, ex S. Bon. in 4. dist. 6. par. 1. quæst. 1. & dist. 49. ar. 1. quæst. 1. cui concors est Suar. in Metaph. Disp. 42. sect. 3. num. 15. & Petrus Hurtad. de Mendoza in sua itidem Metaph. Disp. 14. Sect. 2. dispositio resultans ex clausione linearum. Vbi aduerte, figuram non attendi penes diuisibilitatẽ, aut extensionem; quia ea ratione non ad qualitatẽ, sed ad quantitatem pertinet; verùm penes figurationem, seu dispositionem: Vnde idem S. Doctor ibid. *figura*, inquit, *dicit dispositionem qualitatis in quantitate*; vnde extra quantitatem figura huiusmodi haberi minimè potest: licèt autem figura dicat dispositionẽ in quantitate ex æquo, principaliùs tamen importat ipsam dispositionem. Rursum aduerte ex eodem S. Doctore dist. 48. eiusdem 4. lib. ar. 2. quæst. 3. ad vlt. figuram propriè de sola orbiculari dici; non quia aliæ quoque non sint verè figuræ, sed quia illa est perfectissima, ob hocque per antonomasiam figura appellatur, illi soli appropriando, quod alijs etiam commune est. Et de figura hactenus.

D. Bon. Suarez Hurta. D. Bo.

9 Forma verò attenditur respectu accidentium extrinsecorum, quæ corpus formosum efficiunt,

ficiunt, vt in effigie ex varijs coloribus miro ordine digestis, & inuicem consertis resultat forma, à qua effigies formosa nuncupatur.

## De Actione, & Passione.

### Cap. IX.

Quia Aristot. pauca nobis de sex postremis generibus exarata reliquit: idcirco nos quoque paucis totam hanc materiam absoluemus, quæ grauiora sunt in his percipiendis ad Philosophiam transportantes. Aristot. autem *Arist.* in cap. de Actione, & Passione, siue de agere, & pati, omissa definitione, exemplo proprietates suscipit promulgandas. Sed enim alibi, nempè in prima Philosophia horum generum definitiones accuratè perscribit, aitque actionem esse, secundùm quam in id, quod subijcitur, dicimur agere; passionem autem, secundùm quam dicimur pati. Idest actio est accidens, secundùm quod aliquid in passum, quod subijcitur actioni, agit, & in illud influit: passio verò est accidens, secundùm quod patiens ab agente influxum recipit, & pati dicitur. In qua definitione, meo iudicio, Aristot. clarè demonstrat, in omni actione exigi aliquid, quod alterius actioni subiiciatur: vnde solas illas actiones inuoluit, quibus ex alio capite veræ passiones respondent.

2 Verum enimuerò hæc Aristot. definitio non videtur esse vsquequaque perfecta; cùm solas actiones corporeas, ac physicas comprehendat. Propterea operæ pretium fuerit, parumper dilatare sermonem, vt vera actionis notitia habeatur. Scotus quidem actionem formaliter asserit esse relationem agentis ad passum, passionem verò (quantum inferre licèt) relationem patientis ad agens, relationem, inquam, extrinsecùs aduenientem. *Scot.* Quid sit autem relatio extrinsecùs adueniens, ex doctrina Doctoris subtilis, dicerem, ni satis supra, cum de relatione tractarem, dixissem. Additque Scotus, actionem veram inter ea obtingere, quæ inuicem transmutantur; ita vt actio sit relatio transmutantis ad transmutatum; Vnde cætera omnia à vera actionis nomenclatione excludit, vt sunt visio, intellectio, & cætera huiusmodi: reliqua verò, quæ ad percipiendam Scoti sententiam spectant, ad libros Physicorum prodenda transmittimus. Hæc Scoti sententia licèt vniuersis ferè Philosophis acclamantibus explodatur, non tamen tanta euidentia eius falsitas hactenus conuicta fuit, quin Scotistæ adhuc

in illa firmi persistant. Nos breuitati vltrò consulentes, & altercationes taciti prætereuntes duas has conclusiones pro veritate stabilienda subnectemus.

3 Prima est, actionem, & passionem non esse formaliter relationem, quamlibet relatio ad actionem consequatur. Prob. concl. 1. Quia si est relatio, maximè ea, quam docuit Scotus, at nulla talis relatio, vt ex supra digestis constat, reperitur; ergo actio non est relatio. 2. Si actio esset relatio, agere, & pati esset referri, sed referri aliquid ad aliud nullam importat actionē, ergo. Aliæ rationes pro hac veritate cum cæteris ad absolutam quæstionem facientibus; si cui videre eas foret oblectamento, legere quibit in lib. Phyfic.

4 Secunda conclusio, Actio formaliter nihil aliud est, quàm vsus actiuæ potentiæ, passio verò passiuæ: eò enim quis agere, vel pati putatur, quò actiua, vel passiua potentia actualitate vtitur, ergo agere, & pati non aliud est, quàm actu vti suis potentijs; nam solius potentiæ est agere. Hinc actiones antiquato Scholasticorum vocabulo actus secundi fuere nuncupati.

Confirmatur verò hæc conclusio ab eius opposito, quod est ocium, seu ociari; enimuerò ocium nil aliud est, quàm potentiæ ab vsu, & exercitio relaxatio. In hac autem conclusione, seu definitione comprehenditur vniuersum actionum genus; siue actio sit physica, siue moralis, immanens, aut transiens, per emanationem, seu per trasmutationem, materialis aut immaterialis, de quibus non est hoc loco singillatim differendum, ne breuitatis metā transcurramus.

5 Posset tamen actio, & passio non incongruè aliam etiam admittere definitionem, quæ fortassè Aristotelis quoque sententiæ fuerit conformior sic. Actio est actus agentis, prout agēs est: Passio actus patiētis, prout tale. In qua definitione videtur fortiùs exprimi discrimen actionis, & passionis à motu, cum quo sapientum ore magnam retinent affinitatem: si quidem definitur motus esse actus entis in potentia, prout in potentia: Quarum definitionum notitiam cum alibi longa promamus indagine, eas hic sub breuitate transfigimus, istud vnum commonentes, actionem, & passionem de ratione sui generis dicere quid absolutum, quod ea denotatur replica, vt agens, & vt patiens est, motum verò nequaquā, quia aliquid præter actum includit, quod ea voce explicatur, prout in potentia.

6 Superest modò, vt horum duorum generum proprietates afferamus. Dixi autem, duorum, quia actio est distinctum genus à passione diuersitate prędicamentali

tali, & vnus, idemque actus prout agentis est, actio nomina tur, prout patiẽtis passio. Duę igitur proprietates actionis, & passionis ab Arist. præscribuntur.

*Arist.*

Altera agere, & pati suscipere contrarietatem. Nam calefactio, v.g. frigefactioni contraria est: vndenam verò hæc contrarietas petenda sit, an ex terminis actionum, an ex ipsis actionibus, non paciscuntur Doctores, plurima tamen pars à terminis sumendam opinatur, & sunt omnes, qui actionem sola ratione à termino distinctam faciunt, quique à terminis specificari asseuerant. Ipse autem, salua semper in omnes debita reuerentia, ac validiori ratione, actionem se ipsa formaliter alii actioni esse oppositam existimarem; vt calefactio, quia talis est, frigefactioni aduersatur; quia verò aduersa aduersum terminum producit. Ratio, quæ me mouet, est; quia omnis contrarietas ad vnam primam reuocanda est. Si ergo quæram, cur termini actionum sint oppositi, & congrua respõsio fuerit adhibenda: vtiq. dicendũ erit, quia ab oppositis manant actionibus. Ne igitur circulus committatur, fatendum erit, actiones se ipsis formaliter esse aduersas: Verum tamen est etiam, veram contrarietatẽ, & perfectã in terminis reperiri, non ipsis actionibus. Cæterùm pro tãto fertur, actiones se ipsis esse oppositas, quia in aliquo priori, etiam circumscriptis terminis, si abstractę considerentur, contrariæ esse deprehenduntur.

Altera proprietas, actiones, & passiones suscipere magis, & minus: id quod dupliciter potest cõtingere. Vel ratione durationis, vt alia sit magis actio, quia diuturnior, & productior. Vel ratione virtutis, quia scilicet fortior, &, vt ita dicam, in agendo virtuosior, vt actio vehementis ignis efficacior est, quàm sit actio parui, & exigui.

7 Possent hic complures oriri quæstiones ad hanc materiã spectantes; vt an actio fiat per contactum? an subiectetur in agẽte? an inter contraria solùm subsistat? an detur reactio? & alia non parua, quæ opportuniori reseruamus disputationi. Illud autem in oris huius capituli censuerim aduertendum ex S. Bon. quem alii postea fuere secuti, passiones interdum nominibus, quæ parent actiua, pronunciari; vt audire, videre, & alia, quæ magè videntur significare actionem, & reuera passionem important.

## De Quando, & Vbi.

### Cap. X.

HAec duo Prædicamenta, sicut & cætera potiùs aliquid rei extrinsecũ, quàm intrinsecum importãt; dico autem extrinsecum, non vt idem est, ac ciden-

cidentarium, sed extrinsecum, quia sunt extra rē. Quando enim est accidens, seu conditio, & circunstantia quamcunq. rem, & actionem concomitans præter Deum, & fortasse Angelos; denotat autem aliquam temporis differentiam, in quarum vna necessum est, rem sicut actionem extitisse, vt heri, hodie, cras, &c. ex quibus liquidò colligitur Quando in præsentiarum non capi eo sensu, quo in Physicis accipitur Tempus, licèt tanguntur etiam inibi multa, quę ad huius notitiã plurimũ conferre potuerint. Vbi autem, de quo in præsenti, est adiacentia, seu circunstãtia rei; qua denotatur hic, seu alibi existere, vt in Templo, in agro, &c.

## De Situ, & Habitu.

## Cap. XI.

Situs est quædam ordinatio, seu dispositio plurium ad inuicem, vt vnumquodque suum seruet situm, & ordinem: Hic autem ordo potest esse vel respectu partium, & rerum ad inuicem, vt caput suum situm in sublime teneat, & similiter ignis in Mundo. Vel penes locum extrinsecum, vt dicitur communi vocabulo positura, sicut corpus Holofernis dicebatur iacere exangue capite truncato; & hæc erat positura, & situs illius. Num autem vtraque positio, an altera tantùm hoc prædicamentum constituat, in Metaph. vlteriùs expendetur.

In Prædicamento Habitus cõtinentur ea omnia, quæ rei obueniunt, prout extrinsecùs denominatur habens, ita tamen, vt rei adhæreant; vt habere vestem, togam, arma, &c. Possunt etiam reduci, quę denotant dominiũ; vt habere agros, nummos, vxorem, & alia huiusmodi.

TRACTA-

# TRACTATVS TERTIVS DE POSTPRAEDICAMENTIS.

## CAPVT VNICVM.

POſtremo loco nobis ſupereſt agendũ de quinq; vocibus, quę Poſtpręd icamenta appellari conſueuere, eo quia ſuũ ſibimet Poſtprædicamẽta loci aſciſcũt Sunt autem oppoſitio, Prius, Simul, Motus, Habere, de quibus ſingulis pauca digeremus.

Eſt autẽ oppoſitio, vt hinc ſumamus exordiũ, repugnantia inter duo extrema, quę de eodẽ ſingulari enũciari nulla ratione poſſunt; eò quippè q Petrus amat Deũ, non poteſt nõ amare Deũ. Huius autẽ ratio eſt, quia amare, & non amare ſimul eſſe in eodẽ nequeũt: ratio à priori; quia ſunt oppoſita. Dicitur autem, vt talia ſunt, quia ſunt quędã, quę de eodẽ prędicari nequeunt; vt Bos, & Aſinus de Homine; nõ autẽ n vt pugnãtia ſunt, & oppoſita, ſed vt diſcreta, & diſparata. Intereſt autẽ inter oppoſita, diuerſa, & diſparata, quòd hęc duo tantũdem diuerſitatem importãt, oppoſita autem diuerſitatem oppoſitã, vt amor nõ amor. Parũ autẽ refert, ſiue oppoſita per modũ affirmationis, & negationis proferãtur; ſiue per modũ omnimodæ affirmationis, dum tamen oppoſitio exiſtit in re, vt amare, & odiſſe.

Porro oppoſitio ad quatuor capita redigitur; vt alia ſit relatiua, quãdo duo inuicẽ referuntur; ita vt licèt ambo ſimul ſint, vnũ attamen nequeat eſſe aliud; & ita opponũtur omnia relatiua; Pater. n. eſt quidẽ ſimul cũ Filio, nõ põt autẽ eſſe Filius, vt Pater eſt. Hinc optimè Theologi cum S. Bon. in 1. Diuinar. pluralitatẽ, ac D.Bon. diſtinctionẽ Perſonarũ ex oppoſitione relatiua vbiq; ſemper venãtur. Alia ſit contraria, quę intercipitur in duabus formis accidẽtalibus poſitiuis, quę ſpecie differãt, genere conueniant, & ſe mutuo in eodẽ ſubiecto nõ cõpatiãtur, vt calor, & frigus in igne. Alia ſit oppoſitio priuatiua, quę cadit inter duas formas, ſeu magis inter duo extrema, alterum poſitiuum, & priuatiuum alterum, vt videns, & cæcus: ad quã poſſunt reuo-

reuocari illa, quæ opponuntur per esse, & non esse circa idē, seu per potentiam, & actum; quemadmodum rosa in potentia à se ipsa differt in actu, non sicut duo extrema, sed sicut vnum diuersa ratione consideratum, vt optimè notauit S. Bonau. in 2. dist. 7. par. 2. ar. 2. quæst. 1. Alia fit contradictoria, quæ intercedit inter duo prædicata, quæ de eodem verificari non possunt, vt homo est, homo non est. Et hæc de oppositis, quæ vtrùm aliquando simul esse possint nec ne, & quomodo, in prima Philosophia in longum examinamus.

S.Bon.

2 Age iam ad modos prioris proficiscamur. Quinque sane modis alterum altero prius dici contingit. Primò, ratione temporis, vt Moyses fuit priùs Christo, & Lex Euangelio. Deinde, prius natura; quod non conuertitur secundùm subsistendi consequentiam, vt animal prius est homine, & omnino superius inferiori. Nam non valet, superius est, puta animal, ergo inferius est, nempe homo: valet autem, inferiùs est, idest homo, ergo etiā superius, idest animal. Tertiò, prius ordine, qui duplex est, alius naturæ, alius doctrinę: ordine doctrinæ priora dicūtur, quę prius cōuenit edoceri, vt sūt faciliora; ordine naturæ priora sunt, quæ ex se alia præcedunt, vt substantia accidens. Quartò, prius dignitatis, & excellentiæ, vt Christus prior omnibus hominibus, & Sacerdos, ac Prælatus subditis, ac secularibus. Denique, prius origine, vt principiū principiato. De his modis prioris copiosè agit S. Bon. in 1. dist. 12. q. 1. & in 2. dist. 2. p. 1. a. 2. quęst. 3. & in 3. dist. 27. ar. 2. quæst. 1. & dist. 34. ar. 2. quęst. 2. p. 1. & in 4. dist. 14. par. 1. ar. 2. quæst. 3. ex quibus locis alios etiam modos prioris colligimus, vt prius vsu, quo sensu etiam ab Arist. dicitur homo priùs planta, quàm animal, quia scilicet priùs vtitur facultate plantę, & vitæ, quàm sensus. Prius auctoritate, quo sensu recipitur in Diuinis prioritas. Prius intentione, vt finis. Prius electione, vt fructus flore; Et quot modis prius dicitur, totidē modis & posterius; at quia non omnia sunt aut priora, aut posteriora, idcirco sequitur tertio loco de modis simul.

D.Bon.

3 Simul verò aliqua esse, potest fieri multifariàm. Primò, simul tempore; siue sumatur tempus largè, vt quæ vno anno, mense, siue die existunt; siue pressè, vt quę vno instanti, vel momēto temporis. Secundò, simul natura, quando ab vno ad aliud valet subsistendi consequentia, ita tamen, vt vnum non sit causa alterius, cuiusmodi sunt relatiua omnia. Tertiò, simul genere; siue genus sumatur prout est primum inter quinque prædicabilia, siue

prout

prout idem est, ac prædicamentum. Quartò, simul loco, vt eadem domo, eodem cælo, quæ sunt loca communia: an verò aliqua possint esse simul loco etiã primo, & adæquato non est præsentis scientię disputare. Quintò, simul operatione, vt duæ causæ circa eundẽ effectũ, vt Sol, & homo simul generant hominem. Sextò, simul voluntate, vt Deus cum qualibet anima sancta. Septimò, addi potest simul officio, & dignitate, vt Consules. Octauò, simul participatione, vt viri Communitatis.

4 Iam verò modis simul supponuntur species motus, de quo pauca dicenda; quippe quòd de eo adamussim in lib. Physicis tractatus habeatur. Porrò species motus hic ab Arist. sex enumerantur sũptę à modis sex, quibus aliquid; moueri põt. Primò nanq; potest aliquid moueri à non esse ad esse simpliciter, & vocatur generatio: Secundò potest moueri ab esse ad non esse simpliciter, & dicitur corruptio. Tertiò potest moueri ad aliquam quantitatem augendam, & appellatur accretio. Quartò potest moueri ad quantitatem perdẽdam, & nominatur diminutio. Quintò potest moueri ad qualitatem, & censetur alteratio. Denique potest ferri ad locum, & latio, seu motus ad locum nuncupatur; de quibus legi potest S. Bon. in 1. d 8. p. 1. ar. 2. q. 1. & lib. 2. dist. 1. ar. 3. q. 1. & 2.

5 Vltimum locũ inter Postprędicamenta postulant sibi modi habendi, qui sunt multiplices. Primò siquidem subiectum aliquo accidenti affectum, putatur illud habere, vt paries dealbatus, homo scientiatus, Cælum orbiculatum. Secundò dicitur illud habere, quod habet ius, vt Dominus seruum, Maritus vxorem, Homo agrum. Tertiò dicitur habere, qui vestitus est; & hoc dupliciter, vt corpus indutum veste dicitur habere vestẽ, anima induta Xpo, vel fortitudine, habere fertur Christũ, & fortitudinem. Quartò dicitur habere continẽter, vt vas aquã. Quintò habere nomen, vt Verbũ Incarnatum Iesus Christus. D. Bon.

6 His alios tres annectit S. Bon. in 1. d. 8. p. 1. ar. 2. q. 1. ad 1. Primus est, habere formaliter, vt ignis calorem. Secũdus virtualiter, vt Deus virtualiter habet omniũ potestatem. Tertius exẽplariter, vt idem Deus habet omnia in se, idest exemplaria omnium. Quartus additur ex eodẽ eminenter, vt Deus habet omnes omnium perfectiones. D. Bon.

FINIS.

# INDEX RERVM, ET VERBORVM,

## QVAE IN TOTO HOC DIALECTICES OPVSCVLO CONTINENTVR.

*Prima littera vocat librum, Secunda tractatum, Tertia caput, Quarta, vbi adest, numerum, Quinta paginam.*

### A

E

Habi-

&

Errata

# Errata sic corrige.

| Pag. | Lin. | Col. | Error | Correctio |
|---|---|---|---|---|
| 4 | 2 | 25 | rationandi | ratiocinandi |
| 6 | 2 | 1 | ignubilioris | nobilioris |
| 16 | 2 | 7 | sola | soli |
| 19 | 2 | 3 | antitates | entitates |
| 20 | 1 | 23 | Lectis | Lictis |
| 21 | 1 | 8 | formalam | formalem |
| 27 | 1 | 2 | pene | benè |
| 27 | 1 | 30 | Nominis | Hominis |
| 36 | 2 | 18 | Vniuoca | Vniuocata |
| 37 | 2 | 24 | vniuoaca | vniuoca |
| 43 | 1 | 32 | nollo | nullo |
| 43 | 2 | 21 | communicatur | communis est |
| 56 | 1 | 5 | apponãtur | opponantur |
| 56 | 1 | 7 | opponatur | apponatur |
| 56 | 2 | 19 | duo | duæ |
| 85 | 2 | 36 | magnè | magè |
| 87 | 2 | 39 | Demontionem | Demonstrationem |
| 93 | 1 | 26 | dirigendas | digerendas |
| 102 | 1 | 2 | agnoscentur | agnoscantur |
| 107 | 2 | 34 | quandocũq; | quodcunque |
| 114 | 1 | 33 | summam | summum |
| 119 | 1 | 40 | inuident | irrident |
| 121 | 1 | 2 | canonixat | canonizat |
| 121 | 1 | 29 | tantum | tactum |
| 125 | 1 | 40 | tellectum | intellectum |
| 132 | 2 | 8 | variabilia | inuariabilia |
| 134 | 1 | 17 | actuali | habituali |
| 140 | 2 | 26 | honorere | honorare |
| 159 | 1 | 2 | extstentias | essentias |
| 165 | 2 | 26 | enimentiam | eminentiam |
| 166 | 2 | 4 | seriùs | secius |
| 177 | 2 | 29 | adiuuent | adiuuant |
| 181 | 1 | 3 | connexionum | connexionem |
| 189 | 1 | 13 | Tertium | Tertiam |
| 137 | 1 | 18 | scibile refertur ad scientiã: | scientia refertur ad scibile. |
| 144 | | | propriè | appropriatè |
| 248 | 1 | 9 | sicut | siue |
| 236 | 1 | 34 | Quantitas | Quantitatis |

In titulo paginarum deest Sum. & sic dici debet, Sum. Dialect. Lib. &c.

FINE

S

Sab

Errata

# Errata fic corrige.

| Pag. | Lin. | Col. | Error | Correctio |
|---|---|---|---|---|
| 4 | 2 | 25 | rationandi | ratiocinandi |
| 6 | 2 | 1 | ignubilioris | nobilioris |
| 16 | 2 | 7 | fola | foli |
| 19 | 2 | 3 | antitates | entitates |
| 20 | 1 | 23 | Lectis | Lictis |
| 22 | 1 | 8 | formalam | formalem |
| 27 | 1 | 2 | pene | benè |
| 27 | 1 | 30 | Nominis | Hominis |
| 36 | 2 | 18 | Vniuoca | Vniuocata |
| 37 | 2 | 24 | vniuoaca | vniuoca |
| 43 | 1 | 32 | nollo | nullo |
| 43 | 2 | 22 | communicatur | communis eft |
| 56 | 1 | 5 | apponãtur | opponantur |
| 56 | 1 | 7 | opponatur | apponatur |
| 56 | 2 | 19 | duo | duæ |
| 85 | 2 | 36 | magnè | magè |
| 87 | 2 | 39 | Demontionem | Demonftrationem |
| 93 | 1 | 26 | dirigendas | digerendas |
| 102 | 1 | 2 | agnofcentur | agnofcantur |
| 107 | 2 | 34 | quandocũq; | quodcunque |
| 114 | 1 | 33 | fummam | fummum |
| 119 | 1 | 40 | inuident | irrident |
| 121 | 1 | 2 | canonixat | canonizat |
| 121 | 1 | 29 | tantum | tactum |
| 125 | 1 | 40 | tellectum | intellectum |
| 132 | 2 | 8 | variabilia | inuariabilia |
| 134 | 1 | 17 | actuali | habituali |
| 140 | 2 | 26 | honorere | honorare |
| 159 | 1 | 2 | extftentias | effentias |
| 165 | 2 | 26 | enimentiam | eminentiam |
| 166 | 2 | 4 | ferius | fecius |
| 177 | 2 | 29 | adiuuent | adiuuant |
| 181 | 1 | 3 | connexionum | connexionem |
| 189 | 1 | 13 | Tertium | Tertiam |
| 137 | 1 | 18 | fcibile refertur ad fcientiã: | fcientia refertur ad fcibile. |
| 144 | | | propriè | appropriatè |
| 248 | 1 | 9 | ficut | fiue |
| 230 | 1 | 34 | Quantitas | Quantitatis |

In titulo paginarum deeft Sum. & fic dici debet, Sum. Dialect. Lib. &c.

FINE